BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVII 7.047

MR-46

M: 8 gr.

Chr. Regism. L



BIBLIOTEKA
ODDLINEUN


I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X


PIORUM
DESIDERI
ORUM
Libri tres.
Joh. Baptista Paravicin sculpsit.

BIBLIOTEKA
POLINEUM

Hermanni

HUGONIS

PIORUM

DESIDERIORUM

Libri tres.

Emendati, aucti, illustrati & ad regulam Orthodoxæ Fidei reformati,

Editio Prorsus nova.

Accurante

Iohanne Henrico Ursino

Spirensi.

GEDANI,

Apud Jacobum Weissium.

ANNO M. DC. LVII.

BIBL. Z.N.IM. OSSOLIŃSKICH

1956-K-427

XVII-7047-II

DESIDERIO

Collium Æternorum

CHRISTO IESU

in quem

desiderant Angeli prospicere

Amori & Desiderio suo

DESIDERIO OMNIUM GENTIVM HÆC SVA Desideria, seq; totum Vir Desideriorum, D.D.D.

*

Quò mitto hos imo gemitus de corde profusos?
Quo desiderii dirigo vela mei?
Dulcis Iesu, ad Te: nam Te desidero solum,
Tu desideriis portus & aura meis.
Te superum, vultusq; tuos, desiderat orbis,
Nec cœlum sine Te quod cupietur habet.

Te Seclũ, adventumq; tuum, desiderat omne,
Nec desiderio est pausa modusve pio.
Non ita captivus duras multo orbe catenas
Solvi, non Medicam sic cupit æger opem;
Non æquè sitiens undas, non algidus ignes,
Non auras læssus, non sola nauta cupit.
Te Phœbus Phœbiq; Soror, Te sidera cuncta
Prospectant festis undiq; lumin:bus:
Te sitiunt undæ, Tibi supplicat arida tellus,
Attollens duro colla subacta jugo.
Ad Te pẽnipotẽs genus omne, & cũcta ferarũ
Secla, gravi heu? dudum subdita servitio,
Allegant questus, libertatemq; requirunt,
Quã scelere oppressã sæva Tyrannis habet.
Omnia Te absentem quærunt. Quodcunq;
Hoc desiderio deficit omne tuo. (creâsti
Ad Te igitur meritò, percussus corda tuâ vi,
Dulcis IESV, ad Te, numine quippe tuo,
Hos mitto gemitus imo de corde profusos,
Hæc desiderii dirigo vela mei.

*

TEMPUS ABIT, MORS VENIT!

Fac cito, quod voles; fac bene, quod debes.

Heu

DEDICATIO.

Heu quã præcipiti labũtur tẽpora cursu?
Vt tacito obrepit mors inopina pede?
Vt fuga Vita mera est! vix tàm citò disperit unda,
Tàm citò vix nunquã vox reditura volat.
Tam citò nec vitreas navis perlabitur undas,
Nulla suæ linquens Signa videnda viæ;
Tàm citò nec pennâ per inania remige tendẽs
Grus, vacuum nullo limite signat iter.
Vivere cràs, serum est; nunc incipe! cur tua differs
Tempora, & injectâ non remorare manu?
Iam periêr tibi Vitæ tot lustra: super[illegible]
Quicquid id est, lucrum [illegible] sobria tandem.
Omne id sollicitis computet articulis.
Sat mũdo, carniq; datum: nam primula vitæ
Gemmula sub pedibus Stultitiæ occubuit;
At pubescentem lasciva protervia florem
Abstulit, & fœdo mersit iniqua luto:
Aut fructus Domino dabis, aut nihil: unus ut
Nil capiat, cui soli omnia debueras. (ex Te
ò Domine, ô idem Frater, dulcissime IESV,
Debeo primitias, vix fero relliquias:

Hasq; gemens: veluti cùm capto ex rure colonus
Pœnè novo invitus munera mittit Hero.
Iure quidem possis; sed Tu, ne respue, quæso!
Hoc quoq; quantillum est unius omne tuum est.

Titulorum enodatio.

CORDIS HOLOCAUSTUM.

Præbe, fili mi, COR tuum mihi,
Proverb. 23. 26.

munere:
non est
Vel Reges, summum fas vel adire Deum.
Hic ego si fulvi pretiosa talenta metalli,
Eo ve petam germinara ara maris;
Quod nihil est, hoc ipse petam, & tibi prompta negandi
Causſa foret: Reges talia dona decent.
COR peto. Condono tibi cætera: ut omnia desint,
An tibi nulla etiam copia Cordis adest?

Magnos

Magnos magna decent. Mundo pretiosa videntur,
Quæ dedit Isaides, quæ satus Isaidâ;
COR peto: si dederis, pretiosius id mihi, quam quæ
Vel dedit Isaides, vel satus Isaidâ.
Talia tu nequeas de paupere promere censu,
Credere sed certè CORDE, & amare potes;
Quo sine nulla placent, quamquam ter maxima dona,
Quo cũ cuncta placent, quamlibet exigua.
COR mihi da, FILI: nam cætera nulla requirunt,
Sola placent castâ CORDA RENA fide.
COR da, nempe Tuum: nam non est omnibus
Tradere concessum Corda aliena DEO.
COR da, sed MIHI da: Scelus est mundumve Erebumve
In partem tanti velle vocare dati.
Vel totum mihi da, vel cuivis prodige totum:
Nolo ego consortem CORDIS habere mei.
DA gratis: neq; enim, cupias si vendere, gratum est,
Et pretium scelus est ante habuisse DEO.

Nemo mihi ad tempus vano COR commodet usu:
Non erit acceptum, sit nisi perpetuum.
Ille meas qui quondam AGNVS tener imbuit aras,
Vmbra mei fuerat CORDIS, imago tui.
Quid prote doni dederim, scis; ipse Sacerdos,
Ipse Sacerdoti victima & ara mei.
Non bove mactato, non agnis gaudeo cæsis;
COR dedi ego ipse meum, COR mihi redde tuum.

TITVLI 2. DECLARATIO.

Animæ fidelis responsio.

ET meritò, quod jure tuum est, hoc poscis IESV!
Quod sòli innumeris debeo nominibus.
Absit ut in prædam veniant Satanas, Caro, Mundus:
I scelus hinc! nihil hîc juris habere potes.
Magno emptum pretio COR vindicat unus IESVS,
Si pretium quæris, sanguis id ipse DEI est.
Ergò habeat sòlus totum, servetq; perenne,
Iamq; suum ipse suâ COR tueatur ope.

Exi;

Exi; quid dubitas? animæ pars optima nostræ
In Domini amplexum sponte libensq; rue.
Quid mihi nunc solito es COR tristius? licet, exi!
Fac tibi vi, quavis fac ratione viam.
An metuens sperni sordes circumspicis? en Fons
Qui lavet, ipse tibi dulcis IESVS erit.
An premit incumbens peccati pondus? at ALES
Qui levet, ipse tibi dulcis IESVS erit.
An nimium duris oneratũ es fascibus? Ignis
Qui cremet, ipse tibi dulcis IESVS erit.
An nudum Domino trepidas adsistere? Vestis
Qua tegat, ipse tibi dulcis IESVS erit.
An gressu infirmo potes haud procedere? Fulcrum
Quod regat, ipse tibi dulcis IESVS erit.
An gemis exhaustum multo te vulnere? Succus
Et medicina tibi dulcis IESVS erit.
Ecce COR! ecce tuas latum se sistit ad aras,
Nec fieri renuit victima grata Deo;
Eja proba, & sacrâ signa Sphragide, Sacerdos,
Eja lava, & cultro fige secaq; tuo.

Major n. offerri nequit hostia mentis in aræ
Nec Christi ex Templo suavior exit odor;
Quàm cùm homo castorum profert libamina morum
Et de Virtutum munere sacra litat. e.

DEUS non tam libenter odoratur Arabicæ Arboris Gutsam, quam sinceri pectoris & cordis sanctitatem. *f.*

Vna DEO purum est gratissima victima pectus,
In qua vincit inops opibus persæpè tumentem. g.

Tollamus ergo corpus nostrum, & constructo altari superimponamus omnes nostras cogitationes, ac deprecemur Dominum, ut mittat è cœlo invisibilem illum & magnum ignem, qui consumat altare, & omnia quæ in eo sunt: & cadent omnes Sacerdotes Baal, quæ sunt adversariæ potestates, & visu percipiemus pluviam spiritualem, velut vestigium hominis venientem in animam. *h.*

GEMI-

e. Prosper in Epigramm. *f.* Petrus Chrysologus serm. 87. *g.* Gregorius Naz. ad Vitalian. *h.* Macarius homil. 31.

GEMITUS AD DESIDERIVM CHRISTVM.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. *Psal.37.v.9.*

Quot mihi clàm tacitis mens æstuet anxia votis,
Indicio potuit discere nemo meo. (strat,
Nemo, nisi arcani qui pectoris intima lu-
Quem fugit humani nulla latebra sinus.
Ille, meos gemitus, mea scit suspiria solus,
Ille, oculis etiam persecat ima suis.
Ecquis in alterius sua sensa profuderit aurẽ,
Sit nisi secreti proditor ipse sui?
Si tamen ulla foret sperãda hâc arte medela,
Ars desideriis hæc foret una meis.
Sed neque depositas levat auris amica querelas,
Nec desideriis hâc fit ab arte modus.
Cœperat, heu! natos Rachel ululare peremptos;
Mox, ubi nil flendo profuit, abstinuit.
Scilicet ipse suas facit ignis, edit que favillas,
Quasque pluit, nubes, ipsa resorbet aquas:

Major n. offerri nequit hostia mentis in aræ
Nec Christi ex Templo suavior exit odor;
Quàm cùm homo castorum profert libamina morum
Et de Virtutum munere sacra litat. e.

DEUS non tam libenter odoratur Arabicæ Arboris Gutsam, quam sinceri pectoris & cordis sanctitatem. *f.*

Vna DEO purum est gratissima victima pectus, (tem. g.
In qua vincit inops opibus persæpè tumen-

Tollamus ergo corpus nostrum, & constructo altari superimponamus omnes nostras cogitationes, ac deprecemur Dominum, ut mittat è cœlo invisibilem illum & magnum ignem, qui consumat altare, & omnia quæ in eo sunt: & cadent omnes Sacerdotes Baal, quæ sunt adversariæ potestates, & visu percipiemus pluviam spiritualem, velut vestigium hominis venientem in animam. *h.*

GEMI-

e. Prosper in Epigramm. *f.* Petrus Chrysologus serm. 87. *g.* Gregorius Naz. ad Vitalian. *h.* Macarius homil. 31.

GEMITUS AD DESIDERIUM CHRISTUM.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. *Psal.37.v.9.*

Quot mihi clàm tacitis mens æstuet anxia votis,
Indicio potuit discere nemo meo. (strat,
Nemo, nisi arcani qui pectoris intima lu-
Quem fugit humani nulla latebra sinus.
Ille, meos gemitus, mea scit suspiria solus,
Ille, oculis etiam persecat ima suis.
Ecquis in alterius sua sensa profuderit aurẽ,
Sit nisi secreti proditor ipse sui?
Si tamen ulla foret speranda hâc arte medela,
Ars desideriis hæc foret una meis.
Sed neque depositas levat auris amica querelas,
Nec desideriis hâc sit ab arte modus.
Cœperat, heu! natos Rachel ululare perẽptos;
Mox, ubi nil flendo profuit, abstinuit.
Scilicet ipse suas facit ignis. edit que favillas,
Quasque pluit, nubes, ipsa reforbet aquas:

Sic melius, proprios quos fudi, combibo fletus.
In q; suum recidit tutius unda sinum.
Qua mea sint igitur, dū triste gemo, lamenta.
Non nisi nos soli novimus, ille, & ego.
Quid voveā, tacitis dum cōpleo littora votis,
Non nisi nos soli novimus, ille, & ego.
Quid clamem, mea dum sese suspiria rumpunt,
Non nisi, non nisi nos novimus, ille, & ego.
O quoties fictas animus gerit histrio partes,
Et pugnant animo fronsq; colorq; suo!
Dum patitur tragicos mens personata cothurnos,
Sapius in mimo Roscius ore salit. (tur.
Nulla fides lacrymis, lacryma simulare docē-
Nec, nisi vis falli, risibus ulla fides.
Solvor ut in fletus, putat omina tristia vulgus,
Solvor ut in risus, omina lata putat:
Fallitur ah! nostri neq; scit mendacia vultus,
Cum lator, lacrymor; rideo, cum doleo.
Vix tibi tot, Proteu, quot sunt simulantib ora,
Vota quibus larvā dant, adimunt q; suam.
Nemo meos Gemitos, Vota aut Suspiria novit;
Nemo, duo nisi nos, & duo sufficimus.

Do-

*

Domine ante te omne desiderium meum, &c. *Psalm. 37. v. 9.*

QVi DEUM amat, ipsum solum desiderat. Qui autem eum desiderat, ad ipsum cordis voce clamare non cessat. Notandum, quia dicturus desiderium, præmisit omne: ut intelligas illud Deo non posse placere desiderium, quod prævæ voluntatis commaculat additamentur. Omne desiderium in pœnam convertitur, si non citò evenerit quod optatum. Cupiditati ipsa celeritas tarda est, & cupienti animo nihil satis festinatur. Quisquis ergò de DEO desiderium in corde concipit, quia statim quod optat non obtinet, ingemiscit. *i.*

Ante te est desiderium meum omne: Non ante homines qui Cor videre non possunt, sed ante te est omne desiderium meum. Sit desiderium tuum ante illum, & Pater qui videt in occulto, reddet tibi. Ipsum enim desiderium tuum oratio tua. Continuum desi-

i. Gregor. Roman. in Psalm. Pœnitent.

desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis si amare destiteris. Frigus charitatis silentium cordis est: flagrantia charitatis, clamor cordis. *k.*

Et gemitus meus ante te non est absconditus: à multis autem hominibus absconditus est. Videtur aliquando humilis servus DEI dicere: & gemitus meus non est absconditus à te. Videtur aliquandò & ridere servus DEI: nunquid desiderium illud mortuum est in corde? Si autem in est desiderium, in est & gemitus. Non semper venit ad aures hominum, sed nunquàm recedit ab auribus Dei. *l.*

Videt ille corda & pectora singulorum, & judicaturus non tantùm de factis, sed & de verbis, & de cogitationibus nostris, omnium mentes voluntatesq; conceptas, in ipsis adhuc clausi pectoris latebris, intuetur. *m.*

GEMI-

k. Augustinus super Psalm. 37. *l.* ibidem. *m.* Cyprianus serm. de Lapsis.



Anima mea desiderauit te in nocte.
Isaiæ. 26. v. 9.

BIBLIOTEKA OSSOLINEUM

GEMITUS.
Animæ Pœnitentis.

I.

Anima mea desideravit te in nocte *Isaiæ. 26. v. 9.*

HEi mihi quam densis nox incubat atra tenebris!
Talis erat, Pharios quæ tremefecit agros,
Nubila, lurida, squallida, tetrica, terribilis nox;
Nocturno in censu perdere digna locum.
Nõ ego tã tristes Scythico puto cardine lunas,
Tardat ubi lentas Parrhasis Ursa rotas:
Nec tot Cimmerio glomerantur in æthere nubes,
Unde suos Phœbus vertere jussus equos:
Nec reor invisi magis atra palatia Ditis,
Fertur ubi nigrâ nox habitare casâ.
Nam licet hîc oculis nullã dent sidera lucem,
Non tamen est omni mens viduata die:
Nocte, suam noctẽ populus videt ille silẽtũm
Et se, Cimmerii, Sole carere vident:

Ar-

Arctica cùm senos regnavit Cynthia menses,
Dat fratri reduci septima luna vices.
Ast me perpetuis damnat sors dira tenebris;
Nullaq; vel minimo sidere flamma micat.
Et neq; (quod cæcis unum solet esse levamen)
Ipsa suam noctem mens miseranda videt.
Quin tenebras amat ipsa suas; lucēq; perosa,
Vertit in obscœnæ noctis opaca diem.
Nēpe suas animo furata Superbia flammas,
Nubilat obscuro lumina cæca peplo.
Nec sinit Ambitio nitidum clarescere solem,
Fuscat & ingenuas Idalis igne faces.
Heu, quoties subiit illius mihi noctis imago,
Nox animo toties ingruit atra meo!
Sors oculis nostris melior, quib. ordine certo,
Alternas reparant lunaq; solq; vices!
Nam quid agat ratio, quid agat studiosa voluntas, (duces?
Quas habet, ut geminos mens peregrina
Major, habere oculos, dolor est, ubi non datur uti,
Quàm, quibus utaris, non habuisse oculos.
Qui dolet oppressus lapsis velocius umbris
Latior aggreditur manè viator iter.

Sed

Sed nimis hæc longas tenebris nox prorogat horas,
Quæ tibi manè negat cedere, Phœbe, diem.
Cùm redit Arctoo Titan vicinior axi,
Exultat reducis quisque videre jubar.
Scilicet Auroræ gẽs vertitur omnis in ortus,
Quisq; parat primus dicere, Phœbus adest.
Sic ego, sæpè oculos tenui sublimis Olympo,
Aspiciens, gemino qui jacet orbe, Polum.
Et dixi tam sæpè; Nitesce, nitesce meus Sol!
Sol mihi tam lor[illegible]ebrate dies!
Exorere, ex[illegible]altem exere
Vel scinti[illegible]
Quin etiam tanti si luminis [illegible]susum,
Sufficiet radios expetiisse tuos.

Anima mea desideravit te in nocte, *Isaiæ. 26. v. 9.*

ERat enim tempus quando non cognoscebam te. Væ tempori illi quando non cognoscebam te! Væ cæcitati illi quãdo non videbam te? Illuminasti me lux mundi, & vidi te. *n.*

Serò

n. August. Soliloq. cap. 31.

Serò te cognovi lumen verum, serò te cognovi. Erat autem nubes magna & tenebrosa ante oculos vanitatis meæ: ita ut videre non possem solem justitiæ, & lumẽ veritatis. Involuebat in tenebris filius tenebrarum. Tenebras meas amabam, quia lumen non cognoscebam. Cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam. Quis me eduxit? ubi erã homo cæcus sedens in tenebris & umbrâ mortis? Quis accepit manum meam ut inde me educe[illegible]is est ille illuminator [illegible]us? Non [illegible] vocabam [illegible]m, & ipse [illegible] vit me[illegible] & ipse vocavit me. Vocasti enim me nomine tuo, intonasti desuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei; *Fiat lux, & facta est lux*: & discessit nubes magna, & liquefacta est nubes tenebrosa quæ operuerat oculos meos, & vidi lucem tuam, & cognovi vocem tuam, & dixi. Verè Domine tu es Deus meus qui eduxisti me de tenebris, & umbâ mortis & vocasti me in admirabile lumen tuum; & ecce video. Gratias tibi illuminator meus, & conversus sum, & vidi tenebras

in

in quibus fueram, & abyssum tenebrosam in quâ jacueram, & contremui, & expavi, & dixi: Væ, væ tenebris meis in quibus jacui! Væ; væ cæcitati illi in quâ videre non poteram lumen cœli! Væ, væ præteritæ ignorantiæ meæ, quando non cognoscebam te Domine! Gratias tibi ago, illuminator & liberator meus, quoniam illuminasti me, & cognovi te. Serò cognovi te veritas antiqua. Serò te cognovi veritas æterna. Tu eras in lumine, & ego in tenebris, & non cognoscebam te, quia illuminari non poteram sine te, & non est lux extra te. *o.*

Tu lux Domine; tu lux filiorum lucis, tu dies qui nescis occasum, in quâ ambulant filii tui sine offensione, & sine quâ omnes qui ambulant, in tenebris sunt, quia te lucem mundi non habent. *p.*

Nox quippe est vita præsens, in quâ quâdiu, per hoc, quod interna conspicimus sub incertâ imaginatione, caligamus. Prophetа namque ad videndum Dominum, premi se quadam caligine sentiebat, dicens: *Anima mea desideravit te in nocte.* Ac si apertè dice-

o. ibidem cap. 38. *p.* Aug. Soliloq. cap. 17.

diceret: In hâc obscuritate vitæ præsentis, videre te appeto, sed adhuc infirmitatis nubilo circumscribor. *q.*

Facile enim homini est, quilibet desiderate à Domino, & ipsum Dominum non desiderare. *r.*

Habet namque mundus iste noctes suas, & non paucas. Quid dico, quia noctes habet mundus, cùm pænè totus ipse sit nox, & totus semper versetur in tenebris. Nox est, Judaica perfidia; nox, ignorantia Paganorum; nox, hæretica pravitas; nox, etiam Catholicorum carnalis animalisvè conversatio. An non nox, ubi non percipiuntur ea quæ sunt spiritus Dei? Frustra per has noctes, justitiæ solem & lumen quæritis veritatis, id est sponsum; quia nulla societas luci ad tenebras. *s.*

Nobis ergo unde in his tenebris veritas? Unde charitas, in hoc sæculo nequam, in mundo, qui totus positus est in maligno? Putas erit qui intellectum illuminet, qui inflammet affectum? Erit utique si convertamur

q. D. Gregor. in Iob. c. 22. *r.* August. in Psalm. 76. *ss.* Bern. in Cant. serm. 75.



Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus à te non est absconditus.
Psal. 37. v. 9.



4

BIBLIOTEKA
I
OSOLINEUM

mur ad Christum, ut velamen de cordibus auferatur: hic est enim de quo scriptum est: *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. t.*

Gratias illi, qui me quæsivit fugitivum, qui me vocando ab interitu revocavit, qui fecit mihi illuminatam noctem. Nox enim est quamdiu ista vita agitur. Quomodo est nox illuminata? Quia Christus descendit in noctem. Accepit Christus carnem de isto sæculo, & illuminavit nobis noctem; perdiderat enim drachmam mulier illa, *accendit lucernam.* Sapientia Dei perdiderat drachmam. Quid est drachma? Numus: in quo numo imago erat ipsius Imperatoris nostri. (Factus est enim homo ad imaginem Dei, & perierat) Et quid facit mulier sapiens? *Accendit lucernam.* Lucerna de luto est, sed habet lucem quâ inveniatur drachma. Lucerna ergo sapientiæ, caro Christi est. De luto facta est, sed verbo suo lucet, & invenit perditos; *& nox illuminatio in deliciis meis.* Facta est mihi nox in deliciis. Deliciæ nostræ Christus. *u.* O

t. Bern. de Ascens. Domini serm. 6. *u.* Augustinus in Psalm. 138.

O æterna veritas,& vera charitas,& chara æternitas! Tu es Deus meus,tibi suspiro die ac nocte. Et cùm te primùm cognovi, tu assumpsisti me, ut viderem esse,quod viderem,& nondum me esse qui viderem. Et reverberasti infirmitatem aspectus mei,radians in me vehementer, & contremui amore & horrore, & inveni longè me esse à te in regione dissimilitudinis. *x.*

x. August.lib.7.Confess.cap.10.

II.

Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. *Psalm.68.v.7.*

Si tibi stultitiæ nulla est patientia nostræ,
Omnia consilio qui sapiente regis;
Nullus ab offenso veniam sibi Numine speret,
Nullus enim culpâ,stultitiaque vacat.
Hæc etiam excelsas afflat contagio mentes,
Et suæ stultitiæ quemlibet aura rotat.
Quid simulasse juvat? semel insanivimus omnes,
Ingenua humani stemmatis illa nota est:

Et



Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea à te non sunt abscondita. Psal. 68. v. 7.



BIBLIOTEKA
POLITECHNIKI
WARSZAWSKIEJ

Et pater & mater, generis primordia nostri
Maxima stultitiæ signa dedêre suæ.
Credite posteritas, fatali vendita pomo es;
Stultius hâc aliquid venditione fuit?
Nec minùs insanus, magni patrimonia censu
Perdidit esuriens, munere pultis, Esau.
Et Salomon tactam sensit vertigine mentem,
Dum castam insano vertit amore domum.
Non igitur magni fallunt oracula regis,
Stultorum innumerũ qui docet esse gregẽ.
Legiferi neque vana canunt præsagia vatis,
Queis defleta hominum tanta ruina fuit.
O saperent, ait, & cauti ventura viderent!
Non adeò in vitium cerea turba foret.
Quis (nisi desperẽt) quosdã dixisse putaret,
Nullum, qui terris imperet, esse Deum?
Quilibet ut peccet (aliàs peccare timeret)
Esse sibi nullum fingit in orbe Deum.
Ipsa igitur nostros avertunt crimina sensus,
Nullus & in vitium, si nisi stultus, abit.
Sed neque jam gliscens stat in hoc dementia passu;
Præcipitii in pejus truditur acta pede.
Extruimusq; domos, cœlóq; educimus arces,
Ceu data perpetuò terra colenda foret:

Crastina lux coget vita statione moveri;
Quis neget insanas nos fabricasse domos?
Conserimus platanos, disponimus ordine lauros.
Areolas hortis dividimusque suas:
Quæ stolidi serimo, vix tertius aspicit hæres,
Quo tibi qui carpet tum tua poma nepos?
Sic puto, dat senibus puerilis natio risum,
Cum fabricat luteas, parvula turba, casas:
Ludicra sollicitis fervet respublica curis,
Hic fœnũ, hic paleas convehit, ille trabes;
Aggerit hic gravido plumas & stramina plaustro,
Hujus erat testâ quærere munus aquam.
Et sibi tum structæ gratantur mœnibo urbis,
Magnaquè se pueri regna locasse putant.
Hæc videt, ac ridet quæ transit grandior ætas,
Vixquè graves sese virquè senexq; tenent.
Haud aliter Superis dant nostra negotia risũ,
Regnaq; pro nidis. quæ fabricamus, habẽt.
Hæc quoq; sub stolido sapientia nata cucullo,
Tam variis nullum vestibus esse modum:
Pauca vel hoc studio, peregrinus ad oppida currat,
Inveniet vestes per loca quæque novas.

Si

Si sedeant uno semel omnes fortè theatro,
Quos sua dissimiles palla chlamysquè facit,
Ridiculis videat plenissima pulpita mimis,
Rideat & socij pallia quisque sui.
Iam studium gemmarum & habendi quis furor auri?
Sudat in hoc hominum nocte, dieq; labor.
Quid tamen est aurum, fulvæ nisi pulvis arenæ? (ris?
Gemmaquè quàm vitrei gutta gelata mari-
Ambit & has tantâ gens stulta cupidine gazas,
Seu foret hinc miseris una petenda salus.
Ecce tibi minimo cœlum venale labore,
Et cœlum hoc pretio, quantula turba petit?
Heu genus insanum! terras præponitis astris,
Ignotis nimiùm dona caduca bonis!
Quis pueros (lusu si vel tam turpiter errent)
Orbilij meritos aspera sceptra neget?
Nempe sciunt levibo quid distent æra lupinis,
Vt semel abjectas deseruêre nuces. (lo,
Nos mage desipimus, cũ parva crepũdia, ca-
Prô pudor! & fluxas pluris habemus opes.

O medici mediam stolidis pertundite venam!
Stultitiæ queat hic proximus esse furor.
Sed videt hæc magnus qui temperat arbiter orbem,
Nostraq; stultitiæ nomine, multa tegit.
Et mea propitius deliria plurima transit,
Multaq; scit cæcâ dissimulanda manu.
Et qui jus adimat, novit Prætoris egere,
Ne perdam, patrias qui mihi servet opes.
Ergo adeat sanum mea, fac, tutela patronum,
Stultitiæ custos esto vel ipse meæ.

Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. *Psalm. 68. v. 7.*

STULTISSIMUS *sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & non novi scientiam sanctorum. y.*
Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ. z. (*ri. a.*
Stultitia [*enim*] *colligata est in corde puer*-
[Sed] vis noscere quis sit insipiens, & quis

y. Prov. 30. v. 2. 3. *z.* 2. ad Cor 11. *a.* Prov. 22. v. 15.

quis stultus? Respondeo; insipiens est qui se à Paradisi gaudiis peregrinum esse non considerat, & se exulem in hoc exilio non attendit: stultus est, qui licet ista cognoverit, liberari tamen à mundi miseriâ per vitæ meritum non intendit. *b.*

Dic ergo te stultum, & sapiens eris. Sed dic, dic, & intus dic, quia sic est ut dicis. Si dicis, noli coram hominibus dicere, & coram Deo non dicere. Prorsus quod ad te ipsum pertinet, quod ad tua; tenebrosus es. Quid est enim aliud, esse stultum, nisi esse tenebrosum in corde? *c.*

Quis est stultus ille qui tamquam luna mutatur, nisi Adam in quo omnes peccaverunt? *d.*

Insipientiam quoque [David] stultum suum factum nominat, ab insipientiâ procedens. Omne enim peccatum per stultitiam fit. Qui igitur in peccatis perseverant, inq; eis consistentes gaudent, & se oblectant ac deliciantur, nihilo dissimiles porcis sunt sese in volutabro luti provoluenti-

b. August in Tomo 9. in spec. pecc. c. 8. *c.* Aug. serm. 8. de Temp. cap. 5. *d.* August. epist. 119.

BIBL. Z. N. IM. OSOLINSKICH

bus. Docet autem in quibus fuerit, cùm incideret in peccatum. Quoniam enim tempore aliquo *cor meum conturbatum est, & dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*: tempore enim, inquit, peccati; pars animæ rationis particeps haud modicam sustinebat perturbationem pravo confusa affectu, & tenebris, ab eo qui peccati fuit impulsor, obducta; adeò ut in *insipientiam* inciderit, ideò dicit, *putruerunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Conturbatum itaque cor ejus, quoniam in *insipientiâ* fuerat, & à virtute prudentiæ exciderat: *e.*

Rectè [autem] peccatum *insipientiam* vocavit, nemo enim sapiens id aliquando committit. *f.*

Nihil peccato pejus; insipientes facit eos, qui anteà intellectu, & sapientiâ multâ præditi fuerant. *g.*

[Et certè] malitia omnis *ex stultitiâ* oritur; siquidem superbus & iracundus (quoniam sapientiâ carent) his affectibus abs-

mun-

e. Basilius hum. 1. Psalm. 37. *f.* Orig. in Psal. 37. *g.* Chrysost hom. 17. in Genes. 24.

muntur, ideò inquit Propheta: *Non est sanitas in carne meâ à facie insipientiæ meæ*: ut omne peccatum è *stultitiâ* ortum habere demonstret: nam qui virtuti studet, qui Deum timet, is sapientissimus est. *Initium*, inquit, *sapientiæ timor Domini*. Quod si ita est, malus, qui Dei timorem non habet, sine dubio non est sapiens. Qui hac verâ careat sapientiâ; stultissimus est. *h*.

Nihil enim ab insanientibus differunt, qui terrenas res, & brevi duraturas tamquam in somnis suspicatur. Videntur divitiis affluere, cùm nullis affluant, in deliciis esse, cùm non sint: neque ante se deceptos intelligunt. quàm ab insania liberentur. *i*.

Delirare tibi videor, cùm hæcce loquor; anicularia tibi videntur hęc verba, Tu enim (videlicet homo magni consilii magnæque prudentiæ) excogitas quotidie genera, acquirendæ pecuniæ, de negotio, de agricultura fortassis & de eloquio, de juris consultatione, de militiâ; addis, & de fœnore. primò hoc à te quæro: scis eum possessurum

h. Chrysost. hom. 41. in cap. 6. Ioan. *i*. Chrysost. hom. 4. in Ioan.

cui servas? aut si nondum natus est, scis nasciturum? servas filiis; incertum est, an futuris, an possessuris? *k.*

Sed quid est, dic quæso, stultius homine qui laborat, & se excruciat, & tantas opes congregat, ut ex ejus laboribus alii se voluptate expleant? Quid est autem; *simul insipiens, & stultus peribunt?* Hic mihi videtur verba facere de impiis, qui toti rebus præsentibus affixi sunt, eaq; suspiciunt; de futuris autem nihil philosophantur, ea de causa vocans eos, *insipientes. l.*

Vocaverunt nomina sua in terris suis. Ecce aliud genus amentiæ; ædificiis, agris, & balneis sua nomina inscribere, & putare se magnam consolationem ex eo accipere, & umbram pro rei veritate consequi. *m.*

A gloriâ suâ exturbati sunt. Quidnam potest cum hâc conferri stultitiâ, quando ea faciunt de quibus puniuntur; pro quibus ignominiâ afficiuntur? *n.*

Lignum quidem quod plantasti, manet; domus quam ædificas, & ipsa manet; faber au-

k. Aug. in Ps. 38. *l.* Chrys. in Psalm. 48. *m.* ibidem. *n.* Ibidem.

autem & agricola abducuntur & pereunt. Et cùm hæc fiant, tamquam immortales hæc omnia comparamus. Igitur audi quid Salomon dicat: *Ædificavi mihi domos*, inquit, *plantavi hortos & viridaria, vineas, natatorias aquarum.* Sed quid ait post hæc omnia? *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Non simpliciter vanitas, sed per excellentiam. Et quæso credamus, & res apprehendamus in quibus non est vanitas: si splēdida respicias ædificia, & horum te fallit aspectus, statim in cœlum respice: à lapidibus & columnis ad illum decorem oculos reflecte, & videbis quod hæc *formicarum sint & culicum opera*, contemplare spectaculum; ascende ad cælestia, illinc ædificiorum disce splendorem, & hæc nihil esse invenies, sed *parvulorum ludibria puerorum.* o.

Ita etiam quidam semper volunt ludere, humiq; semper jacent & humi serpunt ac reptant, & quæ humi sunt, nempe terrena, affectant. Pueri autem sæpè, cùm nos loquamur de rebus necessariis, eorum quæ

o. Chrysost. hom. 55. ad pop. Antioch.

dicuntur, nihil sentiunt, sed semper rident: ita etiam quidam, quando de regno loquimur, rident. Pueri rursus, quando latronem viderint, & quæ sunt intus auferentem, non solùm non prohibent, sed etiam arridentinsidiatori. Sin autem calathulum aut fistra abstuleris, aut aliquid aliud ludicrum, indignantur & ægrè ferunt, se dilacerant & solum pulsant. Ita etiam quidam, videntes diabolum paterna omnia auferentem, rident, ad eum tamquam ad amicum accurrentes: si quisquam autem aut possessiones, aut divitias, aut puerile aliquid abstulerit, se discerpunt. *p.*

Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. q.

Nolite pueri effici sensibus. r.

Parvi enim pueri, parva quidem hianti ore stupent & mirantur; rerum verò valde magnarum, non tantâ tenentur admiratione; *nolite pueri effici*; hoc est, *insipientes*, ubi oportet esse sapientes. *s.*

Pue-

p. Chrysost. hom. 4. in 1. ad Corinth. c. 1. *q.* Ps. 93. 8. *r.* 1. ad Cor. 14, 20. *s.* Chrysost. hom. 36 in hunc locum.

Pueris quidem iis, qui sunt adhuc paulo minores, patres præbent ejusmodi: calceos, vestes, aureas quasdam bracteas & armillas. Postquam autem creverint; illis eis ablatis dant alia majora. Ita etiam fecit Deus: nos à parvis illis & puerilibus abducens, ea quæ sunt in cœlis pollicitus est. Ne hæc ergo quæ fluunt & prætercurrunt, admireris, nec sis pusilli & abjecti animi. *t.*

Sed majorum nugæ negotia vocantur; puerorum autem talia cùm sint, puniuntur à majoribus. *u.*

Beatus vir cui nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates, & insanias falsas. Qui non respicit hæc beatus est, qui autem respicit, *insanus* atque *furiosus est.* & idcò respiscat unusquisque à furore sæcularium cupiditatum, quæ ita mentem, animamque perturbant, *ut compos esse non possit.* *x.*

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris [*Domine.*] *y.*

Ipsos namq; fatuos videmus (quos vul-

t. Chrysost. hom. in Psalm. 4. *u.* Aug. con. 1. cap. 9. *x.* Ambr. in Psalm. 118. Octon. 5. *y.* Psalm. 24.

gò moriones vocant, ad cordatorum delicias adhiberi, & in mancipiorum æstimatione, precioſiores eſſe cordatis. Et ſuum parvulum filium, à quo garriente talia patet lætus exſpectari, provocat; ſed dum ſpes ſubeſt incrementorum, & ingenii lumen acceſſurum creditur ætatis acceſſu, fit ut convicia parvulorum, etiam in parentes, non ſolùm injurioſa non ſint, verùm etiam grata atque jucunda. [Quid] quòd in hæc etiam concitentur ſtudio ridendi, & vanitate majorum? nam plerumque illa ætas, jam patrem, matremque agnoſcens, neutri eorum audet maledicere, niſi ab altero eorum, aut ab utroque, vel permiſſa vel juſſa. z.

z. Auguſt. l. 1. de peccat. mer. c. 35.

III.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. *Pſalm. 6. v. 2.*

Con-



Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte vniuersa delicta mea. Psal. 24. v. 19.



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

COnquerar! an sileam? justas habet ira querelas,
Heu sine Pœoniâ sola relinquor ope!
Non ego, jussa licet juratis credere verbis,
Speraſſem, cordi non magis esse tibi.
Siccine tardus ades, neque nostra pericula tangunt?
Quæ potuit tantæ cauſſa fuiſſe moræ?
O mea ſpes! Numẽ quo non præſentius ægris,
Sic potis es nostri non memor esse mali?
Nunc aderant pariter Podalyrius, atq; Melampus,
Phillyrides Chiron, Pœoniuſq; ſenex.
Multaq; præterea comitata Machaone turba;
Quisq; aliquod medicâ nomen ab arte gerunt:
Tu ſolus deceras morborum publica cura,
Poſtq; tot Hippocrates ultimus ecce venis.
O mea ſpes! numen quo non præſentius ægris,
Sic potis es nostri non memor esse mali?
Omnibus eſt oris viſus color index linguâ,
Omnibus admotâ vena notata manu:
Nil, ajunt, vitale rubet, neq; languida certas
Vena notat, pulſu præmoriente, moras.

Idque ego plus ipſis deprẽdo medentibus ægra.
Deſtituit medicos ars ſua, meque ſalus.
Quidnam igitur ſperem fugientibus orba Magiſtris,
Morbus ubi vincit ſævior artis opem?
Cœca per infectas ſerpunt contagia venas,
Imaque ſubſidit lapſus in oſſa dolor;
Et caput & cubiti ſe ſuſtentare recuſant,
Tinctaque vix Baccho vena medente redit.
Et jã vix animæ ſupereſt pars ultima noſtræ,
Heu paror inferiis proxima pompa meis!
Denique qui morbos cupit omnes diſcere no-
Copia quod fieri non ſinit, ille cupit. (ſtros,
Hic ſtatus, hæc rerum facies miſeranda mearum eſt,
Nec juvor ullius, qui medeatur, ope.
Aſpice vix noſtrã poteris dignoſcere formã;
Vultus abeſt vultu, ſeque nec ipſe refert.
Lumina ſuffoſſis retrò fugêre cavernis,
Magnaque purpureis facta ruina genis:
Nec quiſquam hanc ferro potuit compeſcere noxam,
Quin caput & faciem carperet atra lues.
Tetrica quid memorem vigilis faſtidia lecti?
Quæque manu tangi vulnera cruda timẽt?

Vulnera

Vulnera pròh nullis mulcenda Machaonis herbis?
Qualia, quæ secuit barbarus ensis, hiant:
Vulnera, secretas animi populantia fibras,
Quæ nullus medicâ claudat hiulca manu.
Nempe graves, meæ sunt, quæ feci, vulnera noxæ,
Vulnera, trux animæ carnificina meæ.
Adde, quod intus, opum dirus mihi turgeat hydrops,
Lentaquè quod meditor nauseat tardet opus.
Tensaquè ventosi propè rumpant ilia fastus,
Et Veneris tacitus pectora cancer edat.
Hæc ego sæpè dedi variis tractanda Magistris,
Semper at oblatæ cura fefellit opis.
Scilicet ipse suas, hic tentet inaniter artes,
Qui raptũ Androgeo reddidit arte diem.
Quique potestates succorum norat & usum,
Vna salus ægris spesquè, Epidaure, tuis.
Nec juvet hic Chiron, operosæ viribus herbæ,
Nec summum medici numen Apollo chori.
Officium tanto cedit minus omne dolori,
Non habet hic ullum succus, odórve locũ.

Quas

Quas igitur ſpectem, veſtri niſi Numinis, aras,
Funeribus nullis quas Libitina notat?
O mea ſpes! Numen quo nō præſentius ullum!
Ecce tuam veneror, mortua panè, manū.
Sanus Apollineâ non indiget arte vel herbâ,
Lege Machaoniâ, qui dolet, artis eget.
Mens mihi læſa dolet plus ſimplice vulneris i-
Ne doleat, vires experiare tuas. (ictu;
Illa ego ſum, Solymis quam prædo cruentus arenis
Stravit, & immiti diffidit enſe latus.
Tu Samarita, mero; Tu vulnera mitis olivo
Obline, barbaricâ vulnera facta manu;
Quoſq; Levita negat, medicosque inuerge li-
quores,
Creſcet ab infuſo rore, meroq; ſalus.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. *Pſalm. 6, 2.*

ÆGROTUS ſum, ad medicum clamo; cæcus ſum, ad lucem propero; mor-

mortuus sum, ad vitam suspiro. Tu es medicus, ut lux, tu vita, JESU NAZARENE; miserere mei fili David; miserere mei fons misericordiæ. Audi quid ad te clamet infirmus; Lux quæ transis, exspecta cæcum; præbe ei manum ut ad te veniat, & in lumine tuo videat lumen. *a.*

Imperfecta enim mea plurima vident oculi tui. Mitte, quæso manum pietatis tuæ in me, & tolle de me, quicquid offendit oculos pietatis tuæ in me. Coram te Domine est sanitas & infirmitas mea. Illam precor serva istam sana. *Sana me Domine & sanabor: salvum me fac & salvus ero.* Tu qui infirma sanas & sanata conservas. Tu qui nutu tuo restauras diruta & collapsa. *b.*

Utinam tibi Domine, aliquæ filiæ Hierusalem nuncient languores meos; si qui sunt in me qui commendari tibi digni sunt; nam multi sunt in me indigentes curari. O me felicem si aliquis Centurio cœlestis dicat tibi: *Domine puer meus jacet paralyticus in domo, & male torquetur!* utinam Domine statim respondeas, *Ego veniam, & cura-*

a. Aug. soliloq. c. 2. *b.* Aug. medit. c. 36.

curabo eum. Dic Domine verbo, & sanabor. Verbo enim ades, quia verbum es. *c.*

Medicinas de terrâ, propter singulas quasque suas corruptelas creasti. Singula solatia singulis malis obviantia præparasti; quoniam es misericors & miserator. *d.*

Hei mihi, Domine, miserere mei. Hei mihi, ecce vulnera mea non abscondo. Medicus es, æger sum, misericors es, miser sum. *e.*

Nunquid non potens est manus tua Deus omnipotens sanare omnes languores animæ meæ? *f.*

Multas infirmitates habet anima nostra. Quot peccata, tot infirmitates. *g.*

Ægrotat humanum genus, non morbis corporis, sed peccatis. *h.*

Non modò enim paralysi dissolvi, verùm etiam peccare, languor est, & longè illo languore deterior, ac tanto utique, quanto est corpore anima præstantior. *i.*

Com-

c.. Guilb. Abb. serm. 46. in Cant. *d.* Aug. soliloq. c. 20. *e.* Aug. libr. 10. conf. c. 28. *f.* Idem ibid. c. 30. *g.* Hieron. in Psalm. 162. *h.* Aug. serm. 59. de verbis Domini, cap. 11. *i.* Chrysost. hom. 14. in c. 4. Matth.

Committe formas pestium
Et confer alternas lues,
Carnis ne morbus fœdior,
an mentis & morum ulcera?
Hunc qui superbit serico,
quem currus inflatum vehit,
Hydrops aquosus lucido
tendit veneno intrinsecus:
At hic avarus contrasit
manus recurvas, & volam
plicans aduncis ungulis
laxare nervos non volet.
Illum libido fœtida
per scorta tractum publica,
luto & cloacis inquinat,
dum spurca mendicat stupra.
Quid ille fervens ambitu
sitisque honoris æstuans,
Mersisne anhelat febribus,
Et igne venarum furit? i,

Major ægritudo est languere animam vitijs, quam corpus morbis. k.

Præsta mihi Domine medicinam, unde mea possint curari vulnera: visita me infirmum

i. Prudent. de S. Laurent. *k.* Eucher. in Paræn.

mum, cura me ægrum, sana me languentem, & suscita me mortuum. *k.*

Varios siquidem languores habemus animarum, & hi sunt quibus [Christus] principaliter vult mederi. *l.*

Propterea enim illas ægritudines sanat, ut istas scilicet de nostris animab. expellat.

Animæ languor peccatum est, unde dixit Propheta: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*, languor animæ nostræ superpia est, avaritia est. *m.*

Etiam in typo mulieris illius, socrus Simonis & Andreæ, variis criminum febribus, caro nostra languebat, & diversarum cupiditatum immodicis æstuabat illecebris. Nec minorem febrem amoris esse dixerim quàm caloris. Itaque illa animum, hæc corpus inflammat: febris enim nostra avaritia est: febris nostra, libido est, eò quòd ignitæ sint cupiditates: febris nostra, iracundia est: febre libido flagrantior est, graviusq; præcipitat & inflammat. *n.*

Vexa-

k. Aug. med. c. 40. *l.* Chrys. in c. 4. Mar. hom. 14. *m.* Ambros. tract. de 42. mansionibus. *n.* Amb. lib. 4. in cap. 4. Luc.

Vexabat enim nos morbus gravis ac febris vehemens, decumbebamusque, non in lecto, sed in ipsamet vitiositate, perinde ac in stercore. In improbitate voluptabamur, scatentes ulceribus, fœtorem spirantes, squallidi, incurvi, umbræ potiùs quàm homines. *o.*

Quin jacet toto orbe, ab Oriente usque ad Occidentem, grandis ægrotus; sed ad sanandum grandem ægrotum descendit omnipotens medicus. Humiliavit se usque ad mortalem carnem, tanquam usq; ad lectum ægrotantis. *p.*

Vidit in stercore jacentem, à vermibus exulceratum, à febri & fame oppressum, nullo non morbi genere laborantem. Nam & febris vexabat [hoc enim est improba cupiditas] & inflammationes urgebant [hoc enim arrogantia] & quædam insatiabilis fames occupabat [hoc enim avaritia] & sanies undique [hoc enim scortatio] & cæcitas oculorum [hoc enim idololatria] & surditas & stupor [hoc enim erat, lapides & li-

o. Chrysin c. 3. ad Philip. ser. 11. digressione morali. *p.* Aug. serm. 59. de verbis Domini, c. 11.

& ligna adorare, & cum illis colloqui] & multa deformitas [hoc enim vitiositas] triste nimirum quiddam & morbus gravissimus. Vidit, absurdiùs (quàm insanientes soleant) loquentes, & lignum & lapidem Deum vocantes. Vidit in tantâ vitiositate; nec tamen abominatus est, non amarior factus, non aversatus est, non odio prosecutus; Dominus enim erat, & opus suum non oderat. Deinde quid facit? optimi medici more parat pretiosa Pharmaca; *q.*

Et quia ipse est & verbum Dei, ægris suis non herbarum succis, sed verborum sacramentis medicinam conquirit. *r.*

Erat namque Archiatros, qui posset curare omnem languorem, & omnem infirmitatem. *s.*

Noverat, venâ inspectâ, quid intùs ageretur in ægroto. *t.*

Erat humanarum ægritudinum Pæonius Medicus & sanctus ægrotæ animæ incantator. *Salvum*, inquit, *fac servum tuum Deus*

q. Chrysost. in cap. 3. ad Philip. serm. 11. *r.* Orig. hom. 1. in Levit. cap. 12. & 13. *s.* Orig. hom. 1. in Ps. 37. *t.* Aug. in Psal. 43.

Deus meus ſperantem in te, Miſerere mei Domine, quia clamavi ad te totâ die. Bonus autem Pædagogus, qui eſt ſapientia (qui verbum Patris, qui fabricatus eſt cœlum) univerſi figmenti curam gerit, ejuſq; corpori & animæ medetur: qui eſt omni ex parte ſufficiens medicus, humanæ naturæ ſervator: *Surge*, inquit Paralytico, & ſublato, in quo jaces, grabato, *vade domum*; & qui priùs erat infirmus, extemplò ſanus & firmus evaſit. Et mortuo Lazaro dixit *egredere*; ille verò mortuus, ex ſepulcro exiit, qualis erat antequam moreretur, meditatus reſurrectionem. *u.*

Idcò autem tot ſalvavit febricitantes, tot languidos, tot claudos, tot cæcos & aridos, ne deſperet de ſe peccator: medicum ſe vocat, & non ſanis ſed malè habentibus opportunum. *x.*

Et ſicut ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria; ſicut frigidum calido, vel adhibet etiam quædam ſimilia: ſic Dei ſapientia hominem curans, ſeipſam ex-

u. Clem. Alex. lib. 1. Pædagog. c. 2. *x.* Aug' vel quis alius lib. de verâ & falsâ. Pœn. c. 5.

exhibuit ad ſanandum; ipſa medicus, ipſa medicina. Quia ergo per ſuperbiam homo lapſus eſt, humilitatem adhibuit ad ſanandum. Serpentis ſapientiâ decepti ſumus, Dei ſtultitiâ liberamur. Jam verò ſimilia, quaſi ligamenta membris & vulneribus noſtris adhibita, illa ſunt; quod per feminam deceptos, per feminam natus; homo homines; mortalis mortales; morte, mortuos liberavit. *y*.

Quod ſi te ergò fortaſſe animarum noſtrarum prædo & tyrannus, vel à Hieruſalem in Hiericho deſcendentem, vel alibi uſpiam inermem & imparatum nactus, uſque adeò ſauciavit. *z*.

Clama; *Ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meam, quoniam peccavi tibi*: ſanat te Deus, confitere tantum vulnus tuum. Jaces ſub manibus medici; patienter implora auxilium, fovet, urit, ſecat; æquanimiter tolera, tantum noli attendere niſi ut ſaneris; ſanaberis autem, ſi oſtendas te medico; non quia ille non videt, ſi tu te abſcon-

y. Auguſt. de doctrina Chriſt. lib. 1. c. 14. *z* Nazian. orat. 16.

abscondas, sed ipsa confessio initium sanitatis est. *a.*

Vulnus, medicum quærit; Medicus, confessionem exigit. *b.*

Convertere ad me, ait Dominus, *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? quare non ascendit sanitas filiæ populi mei?* grandi plagæ altâ & prolixâ opus est medicinâ. *c.*

Totum enim genus humanum, est ille homo, qui jacebat in viâ semivivus, à latronibus relictus; quem contempsit transiens Sacerdos & Levites; & accessit ad eum curandum eiq; opitulandum transiens Samaritanus, in quo Samaritano, se voluit intelligi Dominus noster JESUS CHRISTUS. *d.*

Ideò unusquisque nostrûm, cordis & corporis genua flectens, oret Dominum nostrum JESUM CHRISTUM (*qui sanat omnes infirmitates nostras*) Et cum Prophetâ dicat: *Sana me Domine & sanabor, salva*

C

a. August. hom. 12. *b.* Amb. in Psalm. 40. *c.* Ambr. ad Virgini. lapsam. cap. 8. *d.* August. ser. 37. de verbis Dom.

salva me, & salvabor. dicat & cum David: *Sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia esse mea. e.*

Omnis enim qui medicum non agnoscit, phreneticus est. Nam quoties phreneticos videmus medicis contumeliam facere, resistere sanitati, nolle curari, diridere veram curam? *f.*

Currite ad medicum dum potestis; ne, cùm velitis, non possitis. *g.*

* Magna medicina est confessio & peccati fugæ. *h.*

Si tibi persuaseris hunc morbum esse gravem, optimum jam correctionis initium feceris. Tunc enim ægrotus confestim de Medico cogitat, cum ante omnia primum ægrotare se cognoverit. *i.* *

Si adhuc quibusdam perturbationibus anima quatitur post remissionem peccatorum, languor est; *sanat & omnes languores tuos.* Sanabuntur omnes languores tui, noli timere. Magni sunt, inquies, sed major est me-

e. Ambr. de 42. mans. mans. 3. *f.* Chrys. in Ps. 26.
g. Ibidem. *h.* Gregor. Nazianz. in pag. grand.
i. Chrysost. hom. 17 ad Rom.

est medicus. Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit; tantùm tu curari te sine; manus ejus ne repellas, novit quid agat. Non tantùm delecteris cùm fovet, sed etiam toleres, cùm secat. Tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatem: ferto ergo manus ejus, ô anima, quæ benedicis eum, non obliviscens omnes retributiones ejus, *sanat enim omnes languores tuos, k.*

* *Deus noster, si quando nos plagis austerioribus coërcet, quasi cauteriis & sectionibus curat: quando autem rebus prosperis refovet, quasi oleo & malegmatibus cõsolatur. k.*

Sic pietate Dei terrarum non vacat orbis,
Et nihil est quod nos nõ trahat ad veniam:
Cum Rex salvandis ipsâ quoq; consulit irâ,
Vt curat Medicus vulnera vulneribus. l.

Suscipiamus ergo Dominum ac Deum verum Medicum, qui solus sanare potest animas nostras, quiq; nostrâ causâ tam vehementer laboravit. m. *

C 2 Planè

k. Aug. in Psal. 40. *k.* Salvianus l. 6. de gubern. DEI. *l.* Prosper in Epigram. *m.* Macarius homil. 30.

Planè committamus nos medici manui, non enim errat, ut sanum pro putri secet. Novit quod inspicit, novit vitium quia ipse facit naturam: quid ipse condidit, quid de nostrâ cupiditate accessit, discernit. scit se sano homini præceptum dedisse, ne languorem incurreret; dixisse in Paradiso, hoc manduca, & hoc noli. Non audivit sanus medici præceptum, ut non caderet; audiat vel ægrotus ut surgat. *n.*

Quisquis ergo es, ô Christiane, qui sanitatem jactas, & te vulneratum fuisse dissimulas, qui integritate gaudes, & te ægrotum fuisse non meres, qui te destitutum jacuisse non respicis, sed erectum in Ecclesia gloriaris; ama CHRISTUM qui te â prædonibus liberavit, dilige Dominum qui te prostratum jacentem q; erexit. Dilige, inquam, Dominum qui te in Ecclesiæ stabulum, per semetipsum, invexit; qui rectori stabulatio commendavit; qui duos denarios, hoc est, Legem & Evangelium in eruditionem tuam erogari præcepit. Dilige, inquam, Dominum qui tibi dicit: *Ecce sanus*

n. August. in Psalm. 40.



Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum; ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea! Pſal 6. v. 2. 4.

BIBLIOTEKA
PEDAGOGICZNA

sanus es. Dominus enim caram tuam salutem habet, qui propter te in sæculum venit, & te à nefandis latronibus liberavit. *o.*

o. Chrys. in cap. 10. Luc. hom. de Samar.

IV.

Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte universa delicta mea. *Psalm.* 24, 19.

Aspicis, heu sævus nostris ne que tangere curis?
Aspicis, & credi vis tibi, me quòd ames?
Futilis ignaro cantetur fabula vulgo;
Sentit amicorum vulnera, quisquis amat.
Aspicis & pateris; neq; cura est ulla juvandi;
Verus amor promptam non ita tardat opē,
Aspice, quàm turpi subigar damnata labore,
Aspice, cui tendam colla premenda jugo?
Si foret ingenuâ saltem labor indole dignus,
Nec nimis abjecta vilius artis opus.
Multa meos casus magnorum exempla levarent,
Et faceret propriam, sors aliena, levem.

Sæpè Ducũ proavos, Regesq; noverca coegit
Augustas operi sors adhibere manus:
Froteafrenantem septemplicis ostia Nili,
Sic oras miseram, Rex Menelae, stipem.
Dextra Syracosii sceptris assueta Tiranni
Sic ferulas, pueris sceptra verenda, tulit.
Flenda exempla quidem, tamen haud ducenda pudori,
(Non etenim miseris sunt sua fata probro)
Ast mea non lacrymis, sed digna pudore ruina est,
Quaroto serviles sponte subacta, molas.
Qualis ab infidâ Sampson detonsus amicâ,
Circuit indignas, hoste jocante rotas.
Atq; utinam famulas tantùm damnarer ad artes!
Explerem ingenuâ sordida pensa manu:
Turpibus at servum vitiis addicere pectus,
Exulis asperius mancipiiq; jugo est.
Ah pudet! & (duplicis nova quæ mihi causa ruboris)
Ipsa meum damnans execror author opus.
Fix benè pertæsum est, rursumq; revolvitur error,
Crescit & attextis nexa catena malis.

Scili-

Scilicet illa manet plectendas ultio noxas,
Admissum sequitur culpa secunda scelus.
O quàm sæpè meo sensi hæc discrimina damno!
Nec tamen est damni mens revocata metu.
Nempe trahor vario studia in diversa duello,
Ut ratis ambiguis jam pila facta Notis.
Et trahit hinc (vitii quæ lena comesq3) voluptas?
Quiq3 subit vitium, retrahit inde dolor.
Sæpius illa tamen redit è certamine victrix,
Assiduus vitio sit licet ille comes.
Sic habet alternos virtus, vitiumq3 triumphos,
Et meus æterno vertitur orbe, labor.
Tu super hæc etiam loris, servilibus instas,
Addis & in pœnas verbera dura meas;
Pœnaq3 cùm culpæ sit culpa secunda, peractæ
Supplicijs pœnas adijcis usq3 novas.
Nempe Ixionius non est modo fabula gyrus,
Vincta sed æterna vertor in orbe molæ.
Aspicis hæc durus nostro neq3 tangere fato?
Aspice, & in pœnas mitior esto meas.

Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte universa delicta mea. *Psalm.24,19.*

IN quantam tribulationẽ deveni! in quos fluctus tristitiæ, in quâ nunc sum; qui jucundus eram & dilectus in potestate meâ! nunc verò reminiscor malorum quæ feci. p.

Vide humilitatem meam, attende dejectionem infirmitatis meæ. *q.*

Contrarietas culpæ facta est homini pondus pœnæ; ut corruptioni suæ malè liber serviat, qui benè servus de incorruptionis libertate gaudebat, *r.*

Nũc etenim menti cedit caro, nũcq; vicissim
Mens carnem sequitur.——
Namq; bonum cupiens, facit id tamen ipsa quod odit;
Servitium lachrymis persequiturq; grave. s.

Quamvis [enim] quispiam locuples sit & generosus, est tamen inter abjectos abjectissimus, cùm à peccato vincitur, quem admo-

p. Matth.6,12. *q.* Bedain.Psal.24. *r.* Gregor.cap.22 in cap.7. Iob. *s.* Nazianz. carm. de animæ calamitatibus.

admodum enim si Rex quispiam barbarorum servus fiat, omnium est miserrimus, sic qui in peccato vivit. Barbarum namque peccatum est, animam enim sub Tyrannidem redigit; nihil enim tam præter rationem est; quàm peccatum; unde ait Propheta, *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* t.

Sanè si intelligamus spiritualiter, quæ sit Ægyptiorum servitus; agnoscimus, quia servire Ægyptiis, non aliud est, quàm obnoxium fieri carnalibus vitiis, in quod utique unumquemque non extrinsecus illata necessitas cogit, sed segnities animi & libido ac voluptas corporis subegit, cui se animus per concordiam subdit. Denique & Salvator de libertate & servitute in Evangelio differens, ita loquitur: *Omnis*, inquit, *qui peccat servus est peccati.* u.

Sicut ergo Ægyptus (ita terrena provincia) filiis Israël, domus dicitur servitutis, ad comparationem Judeæ & Jerusalem (quæ eis domus efficitur libertatis) ita ad com-

t. Chrysost. hom. 9. in epist. 1. ad. Corinth. 10. 4.
u. Orig. hom. 16. in cap. 67. Genes.

parationem cœlestis Hierusalem (quæ ut ita dicam; mater est libertatis) totus hic mundus, & omnia quæ in hoc mundo sunt, domus est servitutis. *x.*

Quid ergo mirum si mundus multa vapulat? servus est, sciens voluntatem Domini sui & faciens digna plagis; non ergò recuset vapulare multis, quoniam si non vult audire præceptorem injustè, justè patietur ultorem; vel non murmuret contra castigatorem, cùm videat se plagis dignum, ut misericordiam mereatur. *y.*

Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium. *z.*

Ergóne bestiæ sumus nos? bestiæ prorsus. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* *a.*

Asinini quidam & bestiales motus legem contrariam habent. Cùm jejunare consentis urget gulæ illecebra; cùm vigilare proponis, somnolentia premit; *quid faciemus huic asino?* *b.*

Eadem

x. Hom. 8. in cap. 15. Exod. *y.* Aug. serm. 42. de verbis Domini. *z.* Prov. 26. v. 3. *a.* Bern. serm. 3. super *Qui habitat in adjutorio.* *b.* Bern. serm. 5. de Ascens.

Eadem peccatores spiritualiter feremus, quæ [Sampson] carnaliter ad nostrã eruditionem expressa, sustinuit. Ita enim nobis, ut illi hostis illudet, *& vertendis molis velut asinos* deputabit. Unde nos Dominus (ne collum nostrum, non subditum jugo Christi dignum faciamus *asinariâ molâ*) admonet per Prophetam: *nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Homo enim, ut alibi dicit idem Propheta, *non intelligens honorem suum, comparatur jumentis & similis efficitur.* Quod in Rege Babylonio videmus evidenter expletum, qui stolidatis impiæ & vecordis superbiæ pœnam, sensu hominis exutus in belluino hoc corde sustinuit. Etenim homo in errore positus & in justitiâ relapsus, justè ut Sampson sapientiæ pariter & gratiæ virtute desertus, cæcitate punitur & *molâ*; quia dignus est *opere jumentario*, qui semetipsum lumine rationis orbaverit, & in similitudinem belluarum, corporis servus, abjecerit. Considera hujusmodi mortalium vitam, & tota tibi species *jumenti molẽtis* occurrat. Ut ille pannis oculos corporia

sic iste sordibus vitæ suę oculos mentis obsutus, per errores suorum sensuum, quasi circa *ambages molarum* laborioſa miſer ſtatione verſatur, uſui ſuo vacuus, laborioſus alieno. Stat in viâ peccatorum compeditus vinculis cupiditatum ſuarum, & ipſe ſibi carcereſt obſeſſus tenebris erroris ſui, & conſcientiæ ſqualore concretus in ſemetipſo *piſtrini ergaſtulum* patitur, ſaxum cordis ſui pertinaciâ iniquitatis induratum quaſi *molam verſat*, farinam hoſtibus ſuis, de corruptâ animæ ſuæ fruge, conficiens; quia ſicut ſcriptum eſt: *peccator de animâ ſuâ currit.* Ita qui peccatum operatur de molâ vitæ ſuæ, hoſtile triticum molit ut Zabulum paſcat, cui panis eſt anima, quę ſibi fames eſt. *c.*

Sunt autem & *molarum differentiæ*, ut ſint quædam earum humanæ, aliæ aſinariæ. Et humana quidem eſt illa de qua ſcriptũ eſt: *Duæ erunt molentes ad unam molam, una aſſumetur & altera relinquetur. d.*

Diſcutiamus ergo quæ molant, quid molant

c. Paulin. epiſt. 4. ad Severum. *d.* Orig. tract. 5. in Matt. cap. 18.

lant quídve pistrinum sit: & fortasse mundus iste pistrinum est, & quod in eo humani corporis forma referatur, in quo anima nostra velut quodam carcere includitur, panem si consulat boni, operatura cœlestem. In hoc ergo pistrino anima obnoxia delictis triticum molendo madefactum & gravi humore corruptum, non potest interiora ab exterioribus separare, & ideò relinquitur, quia ejus similago displicuit. *e.*

Asinaria autem mola non irrationabiliter dici potest gravissimum hominis malum, quod semper deorsum trahit. *f.*

Nam quid per *molam asinariam*, nisi actio terrena signatur, quæ dum colla mentis per stulta desideria constringit, hanc *in laboris circuitum* mittit. *g.*

Molendinum enim labor est hujus sæculi; *h.*

Et molendinum puto dictum mundum istum, quia rotâ quâdam temporum volvitur, & amatores suos conterit. *i.*

C 7 Te-

e. Ambr. in c. 17 Luc. *f.* Orig. tract. 5. in Mat. c. 8. *g.* Greg. lib. 6. mor. c. 26. in c. 3. Iob. *h.* August. ser. 107. de temp. *i.* Aug. in Psalm. 36.

Testatur Sampson Allophylis captus, qui postquam oculos perdidit, *ad molam* de putatus est; quia nimirum maligni spiritus postquam tentationum stimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras *in circuitum laborum mittunt.* *k.*

Et quare in *molendino*? quia in isto mundo versantur: ubi *molendinum* intelligitur, quia *sic vertitur mundus iste, quo modo mola.* *l.*

Quare in *molendino*? quia defuncti in sæculo, *circuitu* rerum temporalium, tamquam *molâ* detinentur. *m.*

Et trahebat me post se, *in circuitu*, de vitio in vitium, & de luto in lutum. *n.*

Unde bene quoque per Psalmistam dicitur, *Deus meus, pone illos ut rotam.* ut rota ponuntur quippe iniqui, quia in *circuitu laboris missi*, dum ea quæ antè sunt negligunt, & ea quæ deserenda sunt sequuntur, ex posterioribus elevantur, & in anterioribus cadunt. *o.*

Hinc

k. Gregor. 7. mor. 16. in cap. 6. Iob. *l.* August. in Psalm. 132, *m.* In Psalm. 99. *n.* Aug. soliloq. c. 6. *o.* Greg. lib. 16. mor. c. 30. in cap. 24.



Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. Job. 10. v. 9.

5.

BIBLIOTEKA
OSSOLINEUM

Hinc est enim quod per Psalmistam dicitur: *in circuitu impii ambulant*; quia dum interiora non appetunt, in exteriorem labore fatigantur. *p.*

Miser ego homo! quis me liberabit à calumniâ hujus pudendæ servitutis? miser sed liber, liber quia homo, miser quia servus, & pro servitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis. Voluntas enim est quæ se, cùm esset libera, servam fecit peccati, peccato assentiendo, quia qui facit peccatum servus est peccati. *q.*

p. Greg. lib. 2. mor. c. 4. in 1. c. Iob. *q.* Bernard. hom. 81. in Can.

V.

Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. *Iob. 10, 9.*

Ergóne cœlitùm jã nata oblivia regnis?
Quis Ganymedæo miscuit illa scypho?
Quid facit immemores ad nostra negotia Divos?
Lethæas Superi fortè bibistis aquas?

Obli-

Oblita es mea lux, aut vis oblita videri,
Cùm dubitas proprium quale creâris opus.
Si nescis, referam; si scis, cur fingere pergis?
Me Tua de luteâ dextera fecit humo.
Quæris ubi? toto locus est notissimus orbe:
Primus ubi pater est conditus, hortus erat.
Fons ubi de riguis argenteus exilit herbis,
Quadruplici q3 suas flumine findit aquas.
Scire lubet tempus? minimo post tempore, salsas
Cum maris aggeribus terra coegit aquas.
Addo, (quod historiæ facit, hâc quoq3 parte, probandæ)
Puniceo rubuit Dædala gleba solo.
Hinc tribus es modicam digitis admensus arenam,
Primaq3 massa mei corporis illa fuit.
Nec primis erit his natalibus exitus impar;
Nil nisi pulvis eram, nil nisi pulvis ero.
Sic faber argillam simili dū repperit agris,
Ædificat facili pocula picta luto.
Principiò, terræ segmenta ligonibus urget,
Indè levi madidam flumine mollit humū;
Deniq3 materiem pernix rota versat in orbē,
Amphoraq3 admota nascitur arte manus;

Nasci-

Nascitur, at mediâ vix amphora vixerit horâ,
Frangitur, inq; suam fracta recurrit humum.
Haud magè firma meæ fundamina condita vitæ,
Et levis extremos finiet umbra dies.
Cur igitur, veluti fuga nõ satis incitet annos,
Præcipites glomerat mobile tempus equos?
Sponte, meus pulvis, nimis heu cito, sponte fatiscit,
Et mea, non ullo, vita premente fugit!
Si mihi, ceu vitreâ concrevit Olympus ab undâ.
Cælite crystallo membra gelata forent!
Aut quales memorant, cœlestia lumina, stellas,
Quas suus è liquidis cõdidit author aquis:
Aut foret Angelicæ munus, sine corpore, vitæ,
Elisiis qualem mentibus esse ferunt!
Sperarem Angelicis æqualia sæcula lustris,
Cœlestesq; annos, sideriosq; dies.
Sed data squammigeræ mage fortia corpora turmæ
Quam peperit viridi Doris aquosa patri.
Quin etiam volucres, cunis melioribus ortæ,
Plumea queis nitida membra dedistis aquæ.

O uti-

O utinam rigidis mihi sten: adamantibus artus,
Aut durent nervos firma metalla meos!
Felices Scythiæ fato meliore sorores,
Fama quibus fulvo finxit ab ære manus.
Cui q3 fuit solo corpus penetrabile talo,
Ærea nam reliquum lamina corpus erat.
Sed quid ago, damnoq3 mei cunabula limi?
Aut queror è fragili corpora ficta luto?
Non bene vasa suo faciunt convicia fabro,
Nec faber ipse suum jure refutat opus.

Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. *Iob. 10, 9.*

SURGE, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam, dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto, manibus suis: conversusq3 fecit illud vas alterum; sicut placuerat in oculis ejus, ut faceret. & factum est verbum Domini ad me dicens: Numquid, sicut figulus iste, non pote-

potero vobis facere, domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos, in manu mea. r.

Volens Propheta, Dei ostendere potentiam & hominis fragilitatem, comparat Deum figulo & hominem luto; quod nihil potest adversus Deum, sicut nec lutum adversus figulum; unde Rom. 9, 20. dicitur: *numquid potest figmentum ei qui se finxit, dicere. Quid me fecisti sic?* & Isaiæ 45, 9. *Væ, qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ. Numquid dicet lutum figulo suo, Quid facis?* & Isaiæ 64, 8. *Et nunc Domine Pater noster tu es; nos verò lutum; & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* igitur in domum figuli descendere, est considerare fragilitatem carnis suæ. Corpora autem nostra dicuntur vasa, quia continent liquorem sive thesaurum pretiosissimum, scilicet spiritum ad imaginem Dei creatum. 2. Corinth. 4, 7. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Deus autem est

r. Hieremiæ 18.

est figulus. Hoc autem vas, rectè dicitur super totam; vel propter corporis instabilitatem; vel quia idem est principium & finis ibidem, secundum illud Genesis 3, 19. *De terrâ es, & in terram ibis. f.*

Ut lutum ergo homo factus est; quia de limo est ad conditionem sumptus. Quod sanctus vir benè pietati judicis objicit, cùm postulans dicit: *Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me.* Ac si apertè dicat: Infirmitatem carnis considera, & reatum iniquitatis laxa. Ubi aptè quoque mors ejus carnis adjungitur, cùm protinus sub infertur: *& in pulverem deduces me.* Ac si patenter postulet, dicēs: Memento quæso, quòd per carnem à terrâ venio, & per ejus interitum ad terram tendo. *t.*

Hæc autem quæ de exteriori homine diximus, etiam interiori quemadmodū possint congruere, libet ut breviter replicando monstremus. *Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me.* Sicut lutum quippè homo noster interior exist: quia Sancti Spiritus gratiā

f. Hugo Card. in hunc locum. *t.* Greg. lib. 10. mor. c. 36. in cap. 10. Iob.

gratia terrenæ menti infunditur, ut ad intellectum sui conditoris erigatur; humana namque cogitatio, quæ peccati sui sterilitate aruit, per vim Sancti Spiritus, quasi irrigata terra, virideſcit. Sed sæpè, dum præceptis superni doni virtutibus, sine interruptione utimur, ad privatam fiduciam, usu continuæ prosperitatis elevamur: unde fit plerumque, ut idem qui sublevaverat, parumper spiritus deserat, quatenus ipsum sibi homines ostendat. Quod sanctus vir protinùs exprimit, cùm subjungit, *& in pulverem deduces me. u.*

Quia, cùm per subtractionem spiritus mens aliquātulum in tentatione deseritur, quasi ab humore pristino, terra siccatur; ut infirmitatem suam derelictus sentiat, & sine infusione supernæ gratiæ, quantum homo aruit, agnoscat: qui aptè quoque reduci ad pulverem dicitur, quia dimissus sibi, cujuslibet aura tentationis raptatur.

Hoc ergo (sicut dignum erat) perpendentes homines sancti, pulchra plasmata in gloriam & honorem præparata, hunc ipsū Crea-

u. Greg. ibid. cap. 37.

Creatorem, ſuum plaſten; ſeipſos autem lutum appellaverunt; eleganti confeſſione, lacrymosâ declamatione: *Et nunc Domine*, inquit Iſaias, *Tu pater noſter es & nos lutum; & fictor noſter, & opera manuum noſtrarum, omnes nos.* Et ad Hieremiam loquitur idem plaſtes noſter Deus. *Nunquid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere, domus Iſrael? ecce ſicut lutum in manu figuli, ita vos, in manu mea, domus Iſrael.* Oſtenderat enim ille figulum facientem opus ſuum ſuper rotam: *Et diſſipatum eſt*, inquit, *vas quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis, converſuſq; fecit illud, vas alterum, ſicut placuerat in oculis ejus, ut faceret.* Hinc idem qui ſuprà dicit Iſaias: *Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamiis terræ.* Hæc & illis ſimilia ſciens ille Juriſperitus cœleſtis Paulus ait: *O homo tu quis es qui reſpondeas Deo? Nunquid poteſt figmeneum dicere ei qui ſe finxit; Quare me feciſti ſic? Aut nunquid non habet poteſtatem figulus; facere de eodem luto, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* x.

Ma-

x. Rupertus lib. 2. c. 20. in Gen.

Magnum reverentiæ documentum, magnum & congruum taciturnitatis & continentis linguæ instrumentum. Deus plastes noster est, nos autem lutum. Monet hoc vehementi increpatione Apostolus vas electionis, placitumque æterni figuli opus, monet, inquam, nos, & mittit huc, ut cum Prophetâ isto, præsens divinæ potestatis exemplar videamus. Cùm enim abjectionem fratrum suorum Israelitarum congemuisset; *Quid ergo, inquit, dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? absit* nimirum ut hæc diceret, ipse quoque mente humili; in isto Prophetâ, descenderat in domum figuli, & viderat quod domus Israel lutum esset, æquè ut omne cœnum gentium; & quia non pro debito, sed pro solâ gratiâ *Deus figulus omnium*, sumpsit Abraham, cùm esset lutum Chaldaicum, & ex illo, & ex seminis ejus massâ luteâ, fecit quæ voluit vasa misericordiæ, vasa honoris & gratiæ. Quid amplius illi debebat, quàm universo luto generis Adæ? hoc ille sapiens & humilis, & ideò verè sapiens, quia humilis, viderat & humiliter sentiebat; quia

non

non propter figuli inertiam, sed propter incomprehensibilem Justitiam, rebelle lutum in manu ejus dissipatum fuerat. Porrò ut ad spectandam similitudinem figuli revertamur, dicamus nunc quando figulus illecognovit figmentum nostrum, suscipiendo pulverem nostrum, tunc ipse faciebat opus è luto manibus suis super rotam adhibitis digitis suis, id est, donis Spiritus Sancti, ut perfecta jam in plenitudine temporis vasa, thesauros susciperent misericordiæ & honoris. Sed ausum est infelix lutum blasphemate figuli sui digitos. Quid igitur? Nimirùm figulo justissimè digitos suos foris contrahente, & cum totâ manu ferente, dissipatum est vas, dissipatione validâ. *y*.

Num quæram igitur quis fecit me? Tu Domine feciſti me, sine quo factum est nihil, tu factor mei, ego opus tuum. Gratias tibi ago Domine Deus meus, per quem vivo ego, & per quem omnia vivunt, quoniam feciſti me. Gratias tibi plasmator mei,

y. Rupertus lib. 1. in Ieremiam cap. 10.

mei, quia manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me. *z.*

Novisti figmentum nostrum figulus noster, & omnes quasi lutum in manu tuâ. *a.*

Nempe figmentum fragilius, quàm vasa quæ illâ rotatione finguntur. *b.*

* *Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*: Miseretur Pater filio cum eum verberetur ut emendet: ita & Dominus corripit nos interdum ut salvos faciat: non tamen in perpetuum derelinquit ut perdat. *Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum*: quod vasa figuli sumus, quæ semel confracta reparari non possunt. *c.*

Igitur quia sic voluit, & sic sapientia dictavit, unum de quo cæteri propagarentur, formavit hominem de limo terræ, de limo, in quam terræ. Manifestum est hoc, quia secundùm corpus, homo terra est. *Terra* enim, inquit Dominus, *es, & in terram ibis.* *d.*

D Novit

z. August. soliloq c.31. *a.* Aug. Soliloq. c.20. *b.* Aug. lib. 5. de civ. c.3. *c.* Hieronym. vel alias in exposit. parva. Ps. 102. *d.* Rupert. l.2. c.21. in Gen.

Novit, quid fecerit, quomodo lapsum sit; quomodo reficiendum sit, quomodo adoptandum sit, quomodo ditandum sit. Ecce facti sumus de limo. Primus homo de terrâ, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. *e.*

Nosce tamen te ipsum homo: tuæ animæ dicitur in Canticis Canticorum: *Ni cognoveris te formosa in mulieribus.* Cognosce te anima quia non de terrâ, non de luto es, quia insufflavit in te Deus animam viventem. Attende tibi, ut lex dicit, tibi, id est, Animæ tuæ: sæcularia te & mundana non teneant; terrestria non morentur; ad illum totâ intentione festina, ex cujus inspiratione consistis. *f.*

Cognosce te anima, quia non de terrâ, non de luto es, quia insufflavit in te Deus, & fecit te in animam viventem. Opus magnificum est homo, Dei inspiratione formatum. Disce homo, ubi grandis, ubi pretiosus sis, vilem te terra demonstrat, sed gloriosum virtus facit, fides rarum, imago pretio-

e. Augustin. in Psalm. 102. *f.* Ambr. in Psalm 118.



Peccaui: Quid faciam tibi, O custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi?
Job. 7. v. 19. 6.

2



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

pretiosum. An quicquam tàm pretiosum, quàm imago Dei est. *g.*

* Quid ego infelix quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem in cruce Domini Sanguinem collegissem, esset q; repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certè id servandum accepi, pro quo Mercator non insipiens, ipsa utiq; sapientia, sanguinem illum dedit: sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multo plura quam vitreis imminere pericula videantur, *h.**

g. Ambr. ib. oct. 10. *h.* Bernh. ser. de Advent.

VI.

Peccavi: quid faciam tibi ô custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi? *Job.* 7, 19.

Et juvat & merui: pleno scelus ore fatendum est,
Culpa mea est nullo digna patrocinio.

Peccavi, *fateor*, nec quæ malè crimina feci,
Vilo fucari posse colore, puto.
Nec mihi dedecoris metus est, neq; cura pudoris,
Publica flagitiis debita pœna meis.
Ecce manus ultrò supplex tibi porrigo victas,
Quæ mihi sit, tantùm pœna luenda rogo.
Quid tibi vis faciam? *vis trudam pectus in enses,*
Aut cladi statuam mœsta trophæa meæ;
Vis tua centenis cumulari altaria libis?
Aut pia fumosis tura micare focis? (ras
Aut meus ipse tuas mavis, cruor imbuat a-
Hostia criminibus substituenda meis?
Ah, foret illa mea vix par quoq; victima noxæ!
Namq; meo est omnis crimine pœna minor.
Non tamẽ est sævas tantus tibi fervor iras,
Quas lenire cruor solus & ara queant:
Sæpe tuus parti superatæ mucro pepercit,
Et conservato nomen ab hoste tulit.
Non sinit ingeniũ tantos tibi surgere motus,
Quantis pro merito culpa pianda foret.
O bone terrigenûm custos, *tutelaq; mundi*
Publica suspendit tot cui vota salus!

Et

En tua se mediâ clementia monstrat in irâ,
Quaq3 manu gladios hâc quòq3 tendis opẽ.
Si pateris (quamvis summo mea causa patroni
Eloquio, melior nullius esse queat)
Pauca tamen pro me, vel pro te: (quòd magis, optem)
Ne tua fors etiam sit mala causa, loquar,
Non nego, peccavi; *communis at hic fuit error:*
Damnáne communis criminis una luam?
Cùm ruerent alij, malè quo sua impetus illos
Impulit, in flammas Bacche Venusq3 tuas;
Dextra suum fulmen, quamvis vibrata, remisit,
Tensaq3 pro gladio lenis oliva fuit.
Cur mihi perpetuo contra adversâre duello,
Ceu gladiator ego, tuq3 lanista fores?
Non satis est, culpã fassas tibi tendere palmas,
Criminibusq3 iram promeruisse tuam?
Quid? quod & egregii dederim tibi muneris ansam;
Materies laudis, dum mea culpa, tuæ est.
Nã nisi peccasse, quid tu concedere posses?
Clementis nomen, non habiturus eras.

Peccavi: quid faciam tibi ô custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi? *Iob.7,19.*

FAmosa lucta & totius ore Ecclesiæ per orbem celebrata, quâ homo cum Deo luctatus est. *i.*

Sicut enim sunt quædam arma Dei, in quibus esse dicitur lorica Justitiæ & gladius Spiritus, & scutum Fidei? ita etiam sunt arma diaboli, quibus indutus homo peccator. A contrariis igitur intelligamus contraria, & statuamus duos milites armatos; unum militem Dei, alterum militem Diaboli. Et si quidem miles Dei habet loricam justitiæ, sine dubio miles diaboli contrariam huic gerit injustitiæ loricam. Et si miles Dei in galeâ coruscat salutis, è contrario peccator (qui est miles diaboli) galeâ perditionis indutus est. Ira ergo est gladius quidam Spiritus Sancti, in his qui militant Deo est autem & gladius maligni, in his qui militant peccato, quem gladium nunc evaginare dicuntur peccatores. *k.*

Quis

i. Rupertus in Gen. 1.8. c. 6. *k.* Orig. in Ps. 36. hom. 2.

Quis est gladius peccatoris, nisi contrarius gladio Spiritus Sancti? *l.*

Quomodo autem putandi sunt peccatores evaginare gladium? dum jam imprudenter, & absque ullo verecundiæ velamento iniquitates suas perpetrant, nec erubescunt aut reverentur, nec tamquam in vaginâ nequitiam suam recondunt & contegunt, sed superbo & elato spiritu, velut gladium quemdam denudant. *m.*

Cum agno pugnaverunt qui Ecclesiam Dei persecuti sunt. *n.*

Hæc pugna cœpta est à principio mundi in Cain & Abel.

Tetendit [impius] adversus Deum manũ suam, & contra omnipotentem roboratus est. o.

Sunt namque nonnulli, qui etsi quâ aliquando agere contra Omnipotentis Dei judicium nituntur, ipsa impossibilitate explendæ voluntatis suæ fracti, ad semetipsos respiciunt; atq; ad eum, quem contemne-

l. Amb. in Psal. 36. *m.* Orig. hom. 2 in Ps. 36. *n.* Ambr. in 17. Apoc. *o.* Hugo Card. in eundem locum Iob. 13.

re voluerant, convertuntur; & qui discedere longè poterant, si quod vellent implere valuissent, per hoc aliquando salvantur, quia quod voluerunt implere nequierunt; unde ad se reducti, cujus sint conditionis, aspiciunt, & plangunt se contraria veritati voluisse. *p.*

Sic Saulum Ecclesiam prosequentem Deus de cœlo vocavit, prostravit, tamquã percussit. *q.*

Nam qui omnia nostra moderatur, ac dispensat Deus, nobis per malitiæ viam incedentibus occurrit, offendicula objiciẽs, quæ nos à peccato remorentur, & abarceant. *r.*

Sed & nonnulli sunt, qui hoc quod perversè contra Deum appetunt, justo Dei judicio implere nequiùs permittũtur, & cùm eos malitia accendit, potentia roborat, tanto jam semetipsos in errore cognoscere nequeunt, quanto in rebus affluentibus extra se semper per potentiam trahuntur; de quorum intentione dicitur: *Tu tendit adversus*

p. Greg. in hunc locum. *q.* Aug. lib 22. cont. Faustum cap. 70. *r.* Basil. hom. 13. in Psalm. 48.

versus Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est. s.

* *Cœlum ipsum petimus stultitiâ, neq; per nostrum patimur scelus*
Iracunda DEVM ponere fulmina. t.

Vim ut ita dixerim facimus pietati suæ, ac manus quodammodò offerimus misericordiæ suæ. Cumq; ejus benignitatis sit, ut velit nobis jugiter parcere, cogitur malis nostris scelera quæ admittimus vindicare. Ac sicut illi solent, qui munitissimas urbes obsident, aut firmissimas arces urbium capere & subruere conantur, omnibus absq; dubio eas & telorum & machinarum generibus oppugnãt: Ita nos ad expugnandam misericordiam Dei omni peccatorum immanium scelere, quasi omni telorum genere, pugnamus, & injuriosum nobis Deum existimamus, cùm ipsi injuriosissimi Deo simus. u. *

[*Sed*] *contra Deum pugnare non est facile. x.*

Tu [igitur anima mea] *ne existimes tibi*

s. Gregor. loco jam citat. *t.* Horat. l. 1. Odâ 3. *u.* Salvian. l. 4. de gubern. *x.* Eccles. 46.

impunè futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris. y.

Job, cujus rei gratiâ, dimicaret, nesciebat; nesciebat quoniam ei gymnasium palæstra erat proposita; sermonem ad judicem vertit, animæque oculum ad alta dirigit, non blasphemans, sed orans cum lacrymis, *ut quid me posuisti contrarium tibi? z.*

Tunc autem sibi contrarium Deus hominem posuit, cùm homo Deum peccando dereliquit. Justus verò conditor hunc sibi contrarium posuit, quia inimicum ex elatione deputavit. *a.*

Et ecce fatetur [Job] malum quod fecit, sed bonum, quod Deo in recompensationem debeat offerre, non invenit; quia ad abluendam culpam quælibet humanæ actionis virtus infirma est, nisi hanc misericordia parentis foveat. Cur [ergo] quasi contrarium tibi hominem despicis, qui certus scio, quia perire ipsum, quem despicere crederis; non vis? *b.*

Quid

y. Mach. 2. c. 7. *z.* Chrysost. hom. 4. de patientiâ Iob. *a.* Greg. in c. 7 Iob. l. 8. c. 22. *b.* Gregor. in c. 7. Iob. lib. 8. c. 21. & 22.

Quid possum facere tibi qui justus es? & idcirco vindex es peccatorũ. Nũquid possum naturæ tuæ inditam auferre justitiam? qui custos es hominum & nosti omnia quæ hominis sunt, nullúq; te latet cogitatio. *c.*

Nihil dignum est, quod Deo pro peccato possit offerri, & nulla humilitas potest maculas elucere peccatorum. *d.*

Pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem, sed certum est, quod misericordia tua delet omnem offensionem. *e.*

Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? nunquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos? nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorũ pinguium? nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructũ ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonũ, & quid Dominus requirat à te: utiq; facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Domino. *f.*

D 6 Deus

c. Philipp. Presbyter in Iob. h.l. *d.* Hieronymus in c. 6. Michæ, &c. *e.* Bernhardus de conscientiâ l. 1. *f.* Mich. cap. 6, 8.

Deus populum provocaverat ad judicium, sed ille sciens se peccâsse, non vult intrare cum Deo in judicium, sed totum se convertit in preces: sed nec in ipsis precibus habet fiduciam, quia nihil est, quod dignè Deo pro peccatis possit offerri. &c. Sic & nos agentes pœnitentiam sciamus, nihil nos dignum dare posse ad placandum Deum, sed solummodò in sanguine immaculati & singularis agni nos posse salvari, si tamen & imitemur ejus passionem, ut pro illo mori parati simus. *g.* *

Peccavi peccatum grande, & multorum sum mihi conscius delictorum; nec sic despero, quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit & gratia. *h.*

Miser ego homo? quis me liberabit à calumniâ hujus pudendæ servitutis? miser sed liber, liber quia similis Deo, miser quia contrarius Deo. *O custos hominum, quare me posuisti contrarium tibi?* posuisti cùm non prohibuisti: Alioquin ipse me posui, & factus sum mihimet gravis. Justissimè quidem

g. Haymo in Micheam l. c. confer. Hieronym.
h. Aug. manual. cap. 23.



Cur faciem tuam abscondis & arbitraris me inimicum tuum? Job 13. v. 24.

BIBLIOTEKA
OSOLINEUM

dem ut hostis tuus, sit hostis meus; & qui tibi repugnat, repugnet & mihi; ego qui tibi, mihi ipsi contrarius sum. *i.*

i. Bern. ser. 81. in Cant.

VII.

Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? *Iob. 13, 24.*

ERgo meus tantæ causam tibi præbuit iræ
Qui condonandus leniter error erat?
Credideram torvos tantùm te fingere vultus,
Nec nisi compositis os simulare minis.
Scilicet ut flenti genitrix negat ubera nato,
Sed negat, ut lacrymis sapiùs illa petat.
Aut qualis puero fugiès negat oscula nutrix,
Oscula, quæ toties, dum fugit ille, dedit.
Sic ego te fictos rebar mihi ducere vultus,
Vtq; magis sequerer, fingere velle fugam.
At geritur video, dicto res seria bello,
Falsa, nec, ut rebar larva, sed ira fuit.
Avertisq; oculos, dedignarisq; videri,
Pax veluti numquam concilianda foret.

Et fugis, ut viso fugit eminus hostis ab hoste,
Aut quem fulmineo dente lacessit Aper.
Ceu timeas, oculis visus saxessere nostris
Occulis oppositâ lumina cauta manu.
Quo precor hanc tanto merui pro crimine pœnam,
Vi velut indignans ora videnda neges?
An quia peccavi, vultu fruſtraris amantē?
Ah! vultu numquam qui mihi torvus erat.
Aut mea ne magicas jaculentur lumina flammas,
Sibilet aut noſtro Regulus ore, times?
Anteveni tutis Cyrceos visibus orbes,
Vibratam q; oculo pelle nocente necem.
Donec enim verſo me dedignabere vultu,
Te, dolor, irato vivere, major eris.
Nullius alterius faciunt mihi lumina bellum,
Luminibus poſſum Phœbe carere tuis:
Pulchra tuos oculos contemnere Cynthia poſſum,
Qui paſcunt reliquas igne nitente faces;
Attamen abſq; tuis oculis, mea vita, meum cor
Vivere, non aliter quàm ſine corde, queo.

Cenſe

Cense igitur reliquas quibus obruor anxias curas;
Si tam dura oculis pœna carere tuis?
O quanto! ô quanto mihi grandius hoc tormentum est,
Te quod amem mea lux, me tamen haud redames?

Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? *Iob. 13, 24.*

QVare faciem tuam avertis gaudium meum per quod gaudeo? ubi es abscõditus, pulcher, quem desidero? odorem tuum haurio, vivo & gaudeo; te autem non video; vocem tuam audio & reviviſco; ſed *cur faciem tuam abſcondis?* fortè dicis; *Non videbit me homo & vivet.* Eja Domine, moriar, ut te videam; videam, ut hîc moriar. Nolo vivere, volo mori; diſſolvi cupio, & eſſe cum Chriſto; mori deſidero ut videam Chriſtum; vivere renuo, ut vivam cum Chriſto. *k.*

Lumen

k. Aug. ſoliloq. cap. 1.

——Lumen persæpè tuenti,
Nominis æterni, nubes densissima, sese
Protinùs injecit mediam, seq; abdidit ingens
Fulgor, & ardentem fixit mihi corde dolorẽ,
Vi mihi jam propiùs posito se præpete cursu
Eripuit, cæpitq; fugam. Cur istud? Amari
An quod à me semper cupiat, cupideq; requiri?
Namq; ita moris habent homines quoq;. l.

* Absconditur autem ab illo facies Dei, cujus vita divino indigna conspectu est. *m.* *

Si quis enim offenderit servulorum, avertere ab eo vultus solemus. Si apud homines hoc grave ducitur, quanto magis apud Deum? vides enim quòd faciem suam Deus à Cain numeribus avertit: Ideò David orat ut flagelletur potiùs quàm *projiciatur à facie Dei.* Ideò justus ait: *Vultum tuum Domine requiram,* grande ergo supplicium, projici à facie Dei. Projectus est Adam de Paradiso; neque immeritò, ipse enim antè *se absconderat à facie Dei.* Exivit & Cain

l. Nazianz. de virtute humanâ. *m.* Philipp. Presbyter h. l.

& Cain à facie Dei, quia putavit Deum esse fallendum, ut crimen negaret. Quomodo projiciat Deus à facie suâ, audi dicentem: *Tollite illum in tenebras exteriores.* x.

Igitur quæ Anima semel à Deo didicit in intimis suis Dei præsentiâ suspirare, & *quærere faciem ejus semper*, talis anima, nescio, an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribiliùs pœnaliúsve ducat, quàm post spiritualis studii hujus, gustatam semel suavitatem, exire denuò ad illecebras, vel potiùs molestias carnis: audi enim hominem expertum quæ loquitur: *Bonus es*, inquit, *Domine sperantibus in te, animæ quærenti te.* audi & alium similem huic: *Tibi dixit cor meum; exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine requiram.* Ab hoc bono, si quis avertere sanctam illam animam conaretur, puto, haud secus accepisset, quàm si de Paradiso, & ab ipso introitu gloriæ, conspiceret deturbari. o.

Est enim [Christus] fulgor æternus animorum, quem ideò Pater misit in terras, ut ejus

x. Ambr. Apolog. pro David. o. Bern. serm. 35. in Cant.

ejus illuminati vultu, æterna & cœlestia sperare possumus, qui ante terrenâ caligine tenebamur inclusi. *p.*

Desiste [ergo anima] hominis habere peccata, & videbis faciem meam; qui enim faciem meam videt, debet esse sine peccato. Esto Angelus, hoc est divini minister imperii; obsequere mandatis Domini: cùm fueris Angelus, videbis faciem Domini. ipse Dominus Jesus ait: *Beati mundo corde, ipsi enim Deum videbunt*: advertis quid à te exigatur ut videas Deum? Emunda igitur cor tuum. *q.*

[Sed] avertere à nobis Deum faciem suam putamus, quando sumus in aliquibus afflictionibus constituti. *r.*

Ne timeas, ô Sponsa, ne desperes, ne existimes te contemni, si paulisper tibi subtrahit Sponsus faciem suam. Omnia ista cooperantur tibi in bonum, & de accessu & recessu lucrum acquiris. Tibi venit, tibi & recedit; venit ad consolationem, recedit ad cautelam. *s.*

* *Ad*

p. Amb. in Psalm. 43. *q.* Ambr. in Psal. 118. *r.* Ambr. in Ps. 43. *s.* Bern. in scala.

* *Ad venium tendunt justi pia verbera Regis,*
Ira brevis, rectis gaudia longa dabit. t.

Derelictionis duæ sunt species. Est enim derelictio dispensativa, & correctiva: & est derelictio finalis desperativa; Illa fit ad correctionem, salutem & gloriam patientis, ut & ad gloriam Dei: sed hæc cum Deo omnia quæ ad salutem erant faciente, homo insanabilis & incorrigibilis manet ex propriâ obstinatione: Tunc enim traditur in finalem perditionem ut Iudas: Parcat nobis Deus, & liberet nos ab ejusmodi derelictione. u. *

O bona absconsio, quæ efficitur perfectio! Gloria mea, Deus meus, abscõdis thesaurum tuum, ut incites cupidum; recondis margaritam, ut augeas quærentibus amorem; differs dare, ut doceas petere; dissimulas audire petentem, ut facias perseverantem. quod planè indicat illa flebilis, quæ tuum in sepulchro natum Christum, inter mortuos, quærebat vivum, durantibus adhuc

t. Prosper epigr. 94. u. Damascen. de Orth. Fide l. 2. c. 29.

huc tenebris; quam accenderas ut quæreret, sed quærenti disparebas ut perseveraret: perseveravit sperans, & speravit perseverans; & quia in spe perseveravit, videre te meruit. Beata visio & plena exultatio. *x.*

Placare, obsecro, & miserere mei, & *non avertas faciem tuam à me*, qui pro me redimendo *non avertisti faciem tuam ab increpantibus & conspuentibus in te.* *y*,

x. B. Anselmi medii. cap. 5. *y.* August. med. cap. 39.

VIII.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte? *Ierem. 9, 1.*

Quis mihi det, liquidas caput hoc vertatur in undas,
Totq; fluat guttis, quot stetit antè, comis?
Fronte patet campus quem flebilis imber inundet,
Ripa nec, ut fluctus exspatientur, obest.
O mea



Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lachrymarum, et plorabo die ac nocte? Jer. 9. v. 1.

BIBLIOTEKA OSOLINEUM

O mea, si subitò, duo flumina, lumina fiant!
Sat capiet geminas alveus aptus aquas.
Ille meis totus lacrymis non sufficit imber,
Perpetuò flentis, qui rigat ora senis.
Captanec Andromache, quâ lumina proluit undâ,
Illa meis lacrymis unda sat esse potest. z.
Nec tua, Iesside, lacrymati balnea lecti,
Balnea nocturnis humida semper aquis.
Nec quibus es solitus jejunia pascere, guttæ,
Noctè, dieq; tuus quæ tibi panis erant: a.
Illa nec illuvies plorabilium lacrymarum
Quam pluit in Domini Magdala mœsta pedes:
Nec (tibi, qui geminis in araverat humida sulcis
Lumina) fons mœsta, Petre perennis aquæ.
Sed tua, Nile, velim septẽplice flumina rivo,
Cùm vagus Isiacos obruis amnis agros.
Aut qualis madidum cùm mergit Aquarius annum,
Totaq; in hybernas astra liquantur aquas;
Aut potius trepidas qualis ruit imber in urbes,
Omnia cùm pluvio claustra recluså Iovi.

Culmi-

z. Heraclit. 44. a. Psalm. 6, & 102.

Culminaq; & turres & acuta cacumina, cautes,
Et nemora, & montes, nil nisi pœtus erant.
Hos oculis voveam gravidis mihi currere nimbos,
Et caput hoc, totus fiat ut Oceanus.
Aut saltem in geminos tabescere luminarivos,
Perpetuóve meas amne natare genas.
Nec siccari oculos, nisi cũ stupor obstitit illis,
Finiat ut lacrymas ultima gutta meas.
Felices nimiũm, vitreæ, gẽs cærula, nymphæ,
Membra quibus fluido sunt liquefacta vitro!
Vosq; paludosis mutatæ fontibus artus,
Quas vetus est quondã fama professa nurus.
Cur mihi non liquidis stillant quoq; brachia rivis,
Glaucaq; muscosis fluctuat unda comis?
Illa ego sum, fontem quæ nõ admittor in ullũ,
Illa ego sum frustrà quæ liquor esse velim.
O utinam! celerem vertar, novus Acis, in amnem,
Qui, Galatæa, tuo flumen amore fuit.

Aut

Aut aliquod, fieri jubeat me Biblida, Numē,
Quod fieri jussit Biblida, fontis aquam!
Aut, Acheloë, tuâ liceat mihi ludere formâ,
Hercule decepto, cùm leve flumen eras!
Non ego tunc, Acheloë, precaria corpora ponam,
Taurus, ut exuto fluminis ore, puter.
Et licet obscuri fuerim nisi nominis amnis,
Non ego me nomen vile fuisse, querar.
Ingis aquæ largus tantùm mihi suppetat imber,
Cætera, securum nomen honoris erit.
Tum meæ inexhaustos deducēt luminarivos,
Pindus ut æstivâ de nive, voluit aquas.
Per q̃s fluent lacrymæ, veluti vaga flumina, vultum,
Flumina luce fluent, flumina nocte fluent.
Nec nisi flere, meis oculis erit ulla voluptas,
Donec erūt lacrymis crimina mersa meis.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarū, & plorabo die ac nocte? *Ierem.* 9, 1.

Si

SItotus vertar in fletum, & ne quaquam guttæ sint lachrymarum, sed abundantia fluminis, non satis dignè flevero. *b.*

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? ut præveniam fletibus fletum & stridorem dentium, & manuum pedumque dura vincula; & pondus catenarum prementium, stringẽtium, urentium, nec consumentium. Heu me mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis & plorationis æternæ! *c.*

Nescit flere qui flenda committit; & cùm sit ipse lachrymabilis, non habet culpę lachrymas suæ. *d.*

Axa suspirans, à patre terram irriguam petit, quia à creatore nostro, cum magno desiderio, quærenda est lachrymarum gratia. Hinc irriguum superius accipit anima, cùm sese in lachrymis cœlestis Regni desiderio, affligit: irriguum verò inferius accipit, cùm inferni supplicia flendo, pertimescit. *e.* Tu

b. Hieron. in c. 9. Hierem. *c.* Bern. serm. 16. in Cant. *d.* Amb. in Psal. 118. *e.* Greg. lib. 3. dial. c. 34. & l. 6. registri.

Tu quidem Rex gloriæ & omnium virtutum magister, docuisti nos verbo & exemplo, gemere ac flere, dicens : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Tu flevisti defunctum amicum. & lachrymatus es valdè super perituram civitatem. Rogote, bone Jesu, per illas pretiosissimas lachrymas tuas, & per omnes miserationes tuas, da mihi gratiam lachrymarum quàm multùm desiderat & appetit anima mea ; quia sine dono tuo, non possum habere eam: sed per Spiritum sanctum tuum qui dura corda peccatorum mollit, & ad fletum cõpungit; da mihi gratiam lachrymarum, sicut dedisti Patribus nostris, quorum vestigia debeo imitari, ut plangam me in omni vitâ meâ, sicut ipsi se planxerunt nocte ac die. Da mihi irriguum superius & irriguum inferius, ut *sint mihi lachrymæ panes die ac nocte.* Da mihi, dulcissimæ fontem irriguum fontemque perspicuum, in quo lavetur assiduè istud iniquitatum holocaustum. Da mihi gratiam lachrymarum benedicte & amabilis Deus, præcipuè ex multâ dulcedine amoris tui & commemoratione

misericordiarum tuarum. Tribue pro bonitate & pietate tuâ, ut iste calix tuus inebrians & præclarus satiet sitim meam. *f.*

Lachrymæ siquidem sunt peccati diluvium & mundi piamentum. *g.*

Et sicut torrens, diversa obstacula diruit, sic lachryma ferventis desiderii, omnia peccata diluit, omnia tormenta contemnit, & cursum suum ad Deum peragit, usque dum perveniat ad aspectum Dei, *h.*

Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt?
A maxillâ enim ascendunt, usq; ad cœlum. i.

Percute Domine, percute, obsecro hanc durissimam mentem meam, piâ & validâ cuspide dilectionis tuæ, & altiùs ad intima penetra potenti virtute; & sic *de capite meo educ aquam immensam, & de oculis meis verum fontem lachrymarum* jugiter manantem ex nimio affectu, desiderio

f. August med. cap 36. *g.* Nazianz. orat. 3. *h.* Hugo Card. in cap. 9. Hier. *i.* Ecclesiastici cap 35.18,39.

rio visionis pulchritudinis tuæ: ut lugeam die ac nocte, nullam in præsenti vitâ recipiens consolationem. *k.*

Da mihi, quæso, lacrymas ex toto affectu internas, quæ peccatorum meorum possint solvere vincula, & cœlesti jucunditate semper repleant animam meam. Venit mihi in mentem alterius mulieris devotio mira, quæ in sepulchro jacentem, præ amore quærebat, quæ recedentibus discipulis de sepulchro non recedebat, quia sedebat ibi tristis ac mærens. Si ergo ita flevit, & in fletu perseveravit mulier, quæ viventem cum mortuis quærebat, quæ te manu fidei tangebat; quomodo me plangere & in planctu persistere debet anima, quæ te redemptorem suum jam cœlo præsidentem, & ubique regnantem corde credit, ore confitetur? Quomodo ergo gemere & flere debet talis anima, quæ te toto corde diligit, teque toto desiderio videre concupiscit? *l.*

k. Aug. med. cap. 37. *l.* Aug. med. cap. 36.

*SÆpè ſuum miſerè luget nova nupta maritum,
Quẽ rapit ante diem gravis inclemẽtia fati,
Triſteſq; orditur lacrymis perfuſa querelas;
Ac latent hærẽtes, famulæ, æqualeſq; viciſſim
In lacrymas gemituſq; ruũt, & carmine triſti
Acria ſubjiciunt validò fomenta dolori:
Quin etiam raptum properato funere natũ
Extulit illacrymans genitrix, ſævoſq; dolores
Quos ſenſit pariens, auget graviore dolore.
Eſt alius patriam qui ſedem hoſtilibus armis
Lugeat oppreſſam, flagranteſq; ignibus ædes.
At, mea mens, quemnam ipſe tuis effundere luctum (quis
Caſibus æqualem valeam? quam peſtifer an-
Occidit, formaq; Dei miſerabile virus,
Exitiumq; tuli? jam jamq; erumpite fletus.
Peccator gravis illacryma! namq; unica mentem
Hæc ratio curare poteſt, morboq; levare. m
Nunc rogo, nunc venæ fontes aperite calentes,
Dumq; ego percutiam pugnis rea pectora, vel dum
Membra ſolo ſternã meritoſq; cicbo dolores,
Vos,

m. Gregor. Naz. in carm. lugubri pro ſuâ animâ.

Vos, precor, effusis lacrymis nõ parcite statim,
Sed mœstam salsis faciem perfundite guttis,
& reserate nefas Christo eum voce gementi.
Nec lateat quicquam culparum cordis in antro,
Omnia quin luci verbis reddantur apertis,
Pectoris & linguæ vel carnis crimina sæva.
Hæc est sola salus animæ & spes certa dolenti
Vulnera cum lacrymis Medico referare superno,
Qui solet allisos sanare, & solvere vinctos,
Quassatos nec vult calamos infringere dextrâ.
nec lini tepidos undis extinguere fumas.
Nonne exempla tibi pendens dabat in cruce Latro,
peccati quantum valeat Confessio vera?
Qui fuit usq; crucem sceleratis impius actis,
Mortis in articulo sed verba precantia clamat,
Et solo meruit fidei sermone salutem,
Cum Christo & portas Paradisi intravit apertas. n.

Quis dabit nobis cor carneum, ut emel-

n. Paschasius in carm. solitariæ conversat.

lita sensus nostri duritiâ, sentiamus sagittas Domini timore sancto carnes nostras, & excitato vulnerum nostrorum dolore, ploremus ante Dominum qui fecit nos? Commodet nobis Jeremias illum fontem lacrymarum, quo diem suum & populum lamentatus est: superfundat nobis & David flumina oculorum suorum, quibus rigabat lectum suum, neq; tantum genas vultus sui, sed & totum corporis stratum lacrymis exundantibus proluebat. *o.*

n. Paschasius in carm. solitariæ conversat.
o. Paulinus Epist. 26.

IX.

Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. *Ps.17,6.*

ERgo iterũ Actæõ aliquis nova fabula fiet,
Infelix canibus præda vorandа suis?
En, mihi mẽs memorũ studiis juvenilibꝰ arsit
Et perit studiis mens propte capta suis,
Mens fuit, ancipites venatu pellere curas;
Non tamen in sylvis, pulchra Diana, tuis.

Sylvа



Dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. Psal. 17. v. 6.

9.

BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Sylva mihi rapidis non est latrata molossis,
Lustra nec infestâ sollicitata cane.
Nec juga Taygeti neque Mœnala territa cornu,
Nec fulvus volucri cuspide stratus aper.
Nec mea Partheniis circumdata retia sylvis,
Nec meditata feris callida lina dolos.
Numquam ego vel pedicas, venabula, tela, vel arcus,
Ullâve Spartanæ Virginis arma tuli.
O utinam mens ista mihi, Dictynna, fuisset!
Non ego nunc prædæ cingerer arte meæ.
Heu quibus imprudens studiis mihi torpuit ætas!
Quin potiùs, nemorũ crura notata rubis?
Cur quæsita tuis mihi præmia, Bacche, trapetis?
Aut agitata tuis præda, Cupido, jugis?
Non tantùm pharetram neq; tantùm tela Cupido,
Cauta, sed, ut fallas, fila, plagasq; geris.
Pampineos tantùm neque concutis Evie thyrsos,
Sunt quoque, quèis capias ebria crura, doli.

Cùm surgit Dalilæ Sampſon malè tonſus ab
ulnis,
Vinctæ Philiſthæo brachia ſune tulit.
Cùm jacet ignoto Noe ſuperatus lăccho,
Compede ſucciduos ſtringis Iăcche pedes.
Idalis, ecce, ſuis jam me quoq; caſſibus ambit,
Quæ toties votis præda petita meis.
Hei mihi, quot circum pedicarum indagine
cingor!
Ceu fera venantûm præpete ſepta globo.
Scilicet illa fuit ſpectri feralis imago,
Antonio; celſi vertice viſa jugi:
Cùm patuêre, oculi collecta ſub uniu ictum
Omnia, quæ mundo diditæ regna jacent;
Omnia, ceu parvâ telluſq; poluſq; tabellâ,
Pictaq; ſtant minimo corpora tota vitro:
Omniaq; hæc ingens obſepſerat undique rete,
Multaquè furtivis ſtamina ſparſa viis.
Quiſq; ſuas fraudes, ſeſit ſua vincula quiſq;;
Hic caput, ille pedes vinctus, & ille ma-
nus. (ptas
Sic ſua deceptum laquearat quemque volu-
Vi viſco ſtolidæ decipiuntur aves.
Ah! ſua nexilibus tendit mors undiq; tramis
Retia, arachnæo callidiora dolo.

Vique

Viquè ſedet nigro venator araneus antro,
Inſidians pennis, ſtridula muſca, tuis:
Senſit ubi motâ trepidare, cubilia, tela,
Emicat, & trepidam raptat in antra feram:
Aut qualis viridi latet arbore callidus auceps,
Pennipedi meditans vincla doloſa gregi.
Linigeros abdit vicino gramine vallos,
Spargit & in nitido plurima grana ſolo.
Et circum incluſas ſecretâ crate volucres,
Quæquè canant vinctæ cõpede, ponit aves.
Hæ, ſaltu, & cantu; levis ille foramine buxi;
Hæ ſocias; prædam, decipit ille ſuam.
Venantûm haud aliter ſcelerum comitatâ coronâ
Implicat inſidiis mors ſua quemque ſuis,
Quique ſuper laqueos niſus dare corpora ſaltu,
Heu miſer, inſtygias præcipitatur aquas!

Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. *Pſ.* 17, 6.

ECce Domine Deus meus, mundus totus plenus eſt concupiſcentiarum laqueis,

queis, quos paraverunt pedibus meis, & quis effugiet hos laqueos? *p.*

Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. q.

Avis enim quæ descendit ex alto, vel quæ in altum se extollere non potest, frequenter aut laqueis capitur, aut visco fallitur, aut quibuscumq; irretitur insidiis: sic quoq; & anima nostra. Laqueus, in auro; visco in argento; nexus, in prædio; clavus est in amore. Dum aurũ petimus, strangulamur; dum argentũ quærimus, in visco ejus hæremus; dum prædium invadimus, alligamur. Quin etiam mulieris decus, dũ tentat, astringit. *r.*

Sed qui sunt venatores isti? venatores utiq; pessimi & nequissimi, callidissimi & crudelissimi. Venatores qui cornu non sonant ut audiantur, sed sagittãt in occultis immaculatum. Ipsi Rectores sunt tenebrarũ harum, astutissimi versutiâ & malitiâ diabolicæ fraudis; ita ut, sicut est ante venatorem bestia; sic ad eorum comparationẽ sit quilibet astutissimus hominum. *s.* O

p, Aug. soliloq. c. 12. *q*. Hierem. Thren. 3, 52. *r*. Ambr. de bono mortis c. 5. *s*. Bernard. serm. 3. super *Qui habitat in adjutorio.*

O anima fragilis ad resistendum, facilis ad cadendum, difficilis ad surgendū! qualiter istius adversarii laqueos evadere poteris, quem tantis subtilitatibus præditum agnoscis? *t.*

Intellige quia in medio loqueorum ambulas, & subtus machinas transeas imminentes. Omnia retibus plena sunt; Diabolus laqueo cuncta complevit. *u.*

Ecce tetendit ante pedes nostros laqueos infinitos. & omnes vias nostras variis implevit decipulis, ad capiendas animas nostras, & quis effugiet? laqueos posuit in divitiis, laqueos posuit in paupertate, laqueos tetēdit in cibo, in potu, in voluptate, in somno, & in vigiliâ; laqueos posuit in verbo, & in opere, & in omni viâ nostrâ. *x.*

Absconditа est in terrâ pedica ejus, & decipula illius super semitam. In terrâ pedica absconditur cùm culpa sub terrenis commodis occultatur; inimicus quippe insidians ostendit humanæ menti, in terreno

t. Bonavent. cap. 1. soliloq. *u.* Orig. hom 2. in Cant. *x.* Aug. soliloq. cap. 16.

lucro, quid appetat, & occulta peccati laqueum, ut ejus animam stringat, quatenus videat quid est quod concupiscere valeat, & tamen nequaquam videat in quo culpæ laqueo pedem ponat. Et tunc ab antiquo hoste super semitam decipula ponitur, quando in actione hujus mundi, quam mens appetit, peccati laqueus paratur; quæ videlicet non facilè deciperet, si videri potuisset; sic quippe decipula ponitur, ut dum esca ostenditur, nequaquam ipsa à transeunte videatur. Sæpè ergo proponuntur animo cum culpâ honores, divitiæ, salus, & vita temporalis, quæ mens infirma, dum quasi escam videt, & decipulam non videt, per escam quam videns appetit, in culpâ constringitur, quæ non videtur. *y*.

Et quemadmodum perversi quidam & subdoli homines, quorum studium est & propositum ex aliorum bonis ditescere, (eam tamen potentiam non habent, & apertâ violentiâ utantur) vias insidiosè obsidere solent; & si locum aliquem circa illas aut convallibus profundis interrumptum

y. Greg. lib. 14. mor. c. 6. in c. 18. Iob.

ptum, aut dumorum densitate obscurum viderint, in illum sese abdunt; & hujusmodi velamento, viatorum circumquaque conspectum, ne prævideantur, amoliti, ex inopino illos adoriuntur; ne quisquam eorum laqueos periculosos videre priùs queat, quàm in illos incidat: ita & Satan infensus nobis, & antiquus hostis, mundanarum oblectationum umbris sese insinuans (quæ periculosæ circa vitæ hujus viam, latronem occulere solent, & latibula præbere insidiatori) indè improvisos nobis perditionis laqueos substernit. Oportet itaque nos animi oculos perpetuò vigiles circumquaque deducere, & quidquid jucundum apparet, mox suspectum habere, & præter-currere; nec aliquam illi cogitationem applicare, etiamsi aurum copiosè propositum videatur, & idoneum quod à volentibus tollatur, etiamsi quascumque delicias terra proferat, & pretiosa tabernacula ostentet: etiamsi choreas, comessationes, ebrietates, & mensas concentuum modulatione jucundas videamus; etiamsi offeratur venustas corporum. Sub his namque o-

mnibus ita jucundis, latebras habet communis noster hostis, expectans num per objectorum spectacula illecti, relictâ Regiâ viâ, ad ipsius aliquando insidias ipsi ultrò declinemus. Et plurimùm sanè timendum est, ne quo pacto illis incautè accurrentes, & oblectationem illam, quam usurpantibus offerunt, nihil habere periculi putantes, primo statim gustu, dolosè abditum hamum voremus, atq; illo postea (nolimus, velimus) ligati, ad terribiles latronis latebras *Mortem*, scilicet, per hujusmodi illecebras imprudenter trahamur. z.

Attolle [ô homo] animam tuam ne eam illiciat esca laqueorum. Voluptates sæculi, escæ quædam sunt, & (quod pejus est) escæ malorum, escæ tentationum. Dum voluptatem quæris, laqueos incurris. Oculus enim meretricis laqueus amatoris est; oculus ergo meretricis, est laqueus. Laqueus est etiam sermo meretricis, qui obdulcat ad tempus, fauces tuas. & postea exasperat eas amaritudine conscientiæ peccatricis.

Laqueus

z. Basil. de non adhærendo cebus sæcularibus.

Laqueus est aliena possessio plena amœnitatis. Omne iter istius vitæ plenum laqueorum est. Unde justus dicit: *In viâ hâc quâ ambulabam, laqueos mihi abscondérunt. a.*

Quoties inimicus cordi nostro conatur inserere, quo nos reflectat à sanctitatis proposito & piis votis? Quoties corporeos inflammat ardores? Quoties occursare facit oculos meretricios, quibus castum sustentet affectum ut improviso amoris spiculo feriat imparatum? Quoties inserit animo tuo verbum iniquum, & cogitationes cordis absconditas? His anima, quæ cupit evolare, deponitur. Sed tu obluctare quasi bonus miles. Christi Jesu. *b.*

Et quid de extraneis laqueis loquar? hostis nobis laquei sunt cavendi in hoc ipso corpore nostro, laquei circumfusi nobis sunt quos debemus vitare. *c.*

Honorum gratia, sublimitas potestatum, epularum suavitas, forma meretricis, laqueus est Diaboli. *d.*

Ergo

a. Ambr. lib. de bono mortis cap. 6. *b.* ibid. *c.* Ibid. *d.* Ambr. lib. 4 in cap. 4. Luc.

Ergo non laqueis nos credamus, & retibus iis quæ decipiunt & illudunt; non sequamur illecebrosa & seductoria. *e.*

Sed tantum valet animi præsumptio, ut & coram ipsis muscipula sit, & incidant in eam; obscurentur oculi eorum ne videant. *f.*

* Attende ergo tibi, id est, undiq; teipsum circumspice, pervigiles gere ad custodiam tui oculos animæ. In medio laqueorum ingrederis. Occultæ tibi ab inimico tenduntur insidiæ. Doli, machinæ, pedicæ, ubiq; defossæ. Circumspice igitur omnia, & cautâ intentione considera, ut effugias, sicut damula ex laqueis, & sicut avis ex retibus. Nam damula non incurrit in laqueum pro eo, quod dicitur visum acutissimum gerere. Unde & nominis sui etymologia servatur in Græcis. Avis verò auxilio usa pennarum, cum voluerit effugere dolos retis, altiora aëris itinera secat. Vide ergò tu ne deterior fortè mutis animalibus ad cautelam tuæ salutis exstas: ne fortè laqueis

e. Ambr. de bono mortis cap. 9. *f.* Aug. in Psal. 68.



Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens! Pſal. 142. v. 2.

10.



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

queis irretitus venatio & captura Diaboli fias, captus ab eo secundum illius voluntatem. *g.* *

Sed tu Domine libera nos de laqueo venantium, & à verbo aspero, ut confiteamur tibi, dicentes: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

g. S. Zeno Veron. *h.* Aug. soliloq. c. 16.

X.

Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142, 2.

Quod Domino decus est in jus arcessere servum,
Palmaq; quæ servi, jure vadantis Herum:
Et servilis hero vertit victoria probro,
Et reus offensæ servus herilis abit.

Crede

Crede mihi, pudor est, mecum tibi texere rixas,
Iurgia nec tecum convenit esse mihi.
Non ego sum, tanta cui sit fiducia pugna,
Non ego materies litibus apta tuis.
Nempe tuis scribi vis bella forensia fastis,
Aut mea, fortè, tuam vincere, caussa potest:
Cujus erit felix adeò facundia linguæ.
Quæ sperare sibi tanta tropæa queat?
Iuriaici nulla est ita vox exercita rixis,
Quo tua debilior caussa, loquente, cadat.
Heu nimis austeram dispensas cognitor urnam,
Nec tuus inflecti se rigor ille sinit!
Sat tua nota quidem gemino clementia mundo;
Blandaq; & in pœnas est tibi lenta manus:
Mœstaq; cùm statuis, tristi tibi mœror in ore est,
Tamq; rei damno, quàm reus ipse, dolet.
Parq; tibi dolor est de crimine sumere pœnã,
Ac sua de plexo crimine pœna reo est.
Nec sibi decretam velit ullus demere multã,
Arbiter ut proprii criminis ipse foret.

At

At licet ingenuas habeant hæc carmina laudes,
Iudicij haut cupiam puncta subire tui:
Nam quamvis miseris bonus es, veniaq; paratus,
Attamen in sontes jure severus agis;
Et tibi tam justâ pendet lanx utraq; librâ,
Par sit ut ex æquo gratia, parq; rigor.
Nec finis affectus, captivaq; pectora duci,
Nec subigunt animum lenia verba tuum.
Nec, si causſidici vox incantaverit aures,
Facundâ eminium diluat arte nefas.
Perdidit hic cassas facundiâ, Suadaq; vires,
Et silet hoc omnis gratia muta loco.
Nec prece, nec precio; nec fraude, nec arte, nec astu:
Proſtitit hoc unquam vendita causa foro.
Quis secet intrepidus tam duro Iudice lites,
Aut tantum impavidus pareat ante Deum?
Non ego si sævi vocer inter ovilia Martis,
Dura tui metuam septa, Gradive, fori.
Nec trepidem (licet ipsa Decem citet hasta virorum)
Ne mea, centeno judice, causſa labet.

Nec

Nec tua, (causarum scopulos) infamia, Cassi,
Pulpita, si jubeat Prætor, iniqua querar.
Nec Rhadamanteæ verear subsellia rixæ,
Scamnaq; Dyctæi litigiosa Senis. i.
Nec, quibus inclusas tenet arbiter Æacus umbras,
Infernis dubitem jura subire plagis.
Quilibet in caput hoc dictet suffragia judex,
Et ferat immites quælibet urna notas:
Causarum mihi tot lingua est inflata tropæis.
Se putet ut nullo cedere posse foro.
Vnius at timuit solum modo Iudicis urnam,
Iudicis & testis qui vice solus agit.
Qui, semel ut sævâ sententia lata tabella est,
Nec prece, nec lacrymis, triste retractat opus.
O durum, ô fatale reis, miserisq; tribunal,
Quo Iudex rigido tam gravis ore sedet!
Dicitur attonitis & ternâ luce supinis
Hunc oculis Agathon extimuisse diem.
Viquè sibi noxæ Paulus non conscius esset,
Hoc tamen est veritus judice stare nocens.
Quiquè sui Salomon doctissimus audiit avi.
Mens pura est, quemquam dicere posse negat. *Quin*

v. Minois.

Quin sacer hâc etiam trepidus formidine
Psaltes;
Judice te, tutus quis reus, inquit, erit?
Quiq; tot adversos tulit æquo pectore casus,
Vix fore clara satis sydera; lobus ait.
Si trepidant igitur, tanto censore, columnæ,
Quo stabunt tabulæ, ligna caduca, pedē?
Siquè tremunt pavidæ nutante cacumine cedri,
Quâ spe parva suam sylva tenebit humū?
Frigidus, heu! refugit mihi toto corpore sanguis,
Aspectus quoties hæc subit urna meos.
Non secus ac visâ cùm victima fortè securi,
Deceptor refugit verbere tunsa caput.
Parce precor, neque jus mihi dic hâc cognitor urnâ
Sancta Themis caussâ qua cadat ipsa suâ.

Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.142,2.*

NOn litigemus; nolo tecum habere caussam, ut ego proponam justitiam meam.

meam, tu convincas iniquitatem meam. Indignum est tibi, cum servo tuo intrare in judicium, nec quidem cum amico tuo. Noli ergo intrare mecum in judicium Domine Deus meus. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam; coaptas me ad eam, & pravus invenior; *ne intres in judicium cum servo tuo*: misericordiâ indigeo, fugitivus redeo, pacem quæro. *k.*

* Quis enim ad comparationem tuam justificabitur homo? quemvis sanctum, & electum, & mundum, & laudabilem, in conspectu tuo, id est, ad comparationem tuam, sive divina judicia, sive humana, probare non possunt. Omnis enim pulchritudo te præsente deformis est: omnis fortitudo te præsente infirma: omnes divitiæ te præsente mendicitas? omnis justitia humana te præsente injustitia. *l.**

Dignum ducis, super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium? m.

Vocat

k. Aug. in Psalm. 142. *l.* Arnobius in Ps. 142. *m.* Iob. 14.

Vocat te: in judicium venies. Quid respondurus es ei, qui nisi iterum tibi donet, peristi; ideò S. David judicium refugit, misericordiam poscit, dicens: *& ne intres in judicium cum servo tuo. n.*

Quid enim tam pavendum, quid tam plenum anxietatis & vehementissimæ sollicitudinis excogitari potest, quàm judicandum adstare ille tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto Judice sententiam. *Horrendum est*, ait Apostolo, *incidere in manus Dei viventis. o.*

Ipse est autem testis & Judex, Judex & testis, quem nulla conscientia peccatrix effugere potest. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis ejus. *p.*

Et sicut illi, qui è carceribus educuntur, unâ cum ipsis catenis ad judicium protrahuntur, sic omnes animæ, cùm hinc emigraverint, variis peccatorũ catenis implicitæ ad terribile illud ducentur tribunal. *q.*

[Et ecce ego] jam jam præsentabor ante distri-

n. Ambr. in Psalm 36. *o.* Bern. serm. 8. super Beati qui habitant. *p.* Ambros. in orationibus. *q.* Chrysost. c. 4. Mat. hom. 14.

districtum judicem de operibus meis rationem redditurus. Væ mihi misero cùm venerit dies ille judicii, & aperti fuerint libri, in quibus omnes mei actus & cogitationes Domino præsentandæ recitabuntur. Tunc demisso capite præ confusione malæ conscientiæ in judicio, coram Domino, stabo trepidus & anxius, utpote commemorans scelerum commissa meorum. Tunc anima inveniens oculos clausos, & os, alioq; corporis sensus per quos solemus egredi & delectari in his exterioribus, revertetur ad se, & cadet sub se: & quia amore mundi & carnis voluptate, Dei amorem dereliquerat, derelinquetur à Deo misera in horâ tantæ necessitatis, atque dæmonibus tradetur in inferno crucianda. [Anima mea] ingenti horrore concutitur, & multiplicibus cogitationum æstibus agitatur, cùm urgente solutione carnis, & subductis è medio omnibus, se & illum terminum considerat, cui appropinquat; & post paululum hoc invenit quod in perpetuum mutari non poterit. r.

Neque

r. Bern. med. cap. 2.

Neque enim tunc immeritò cujuslibet anima terretur, quando post pusillum hoc invenit quod in æternum mutare non possit. Consideramus quippe quod viam vitæ præsentis nequaquam sine culpâ transire potuimus. Consideramus etiam, quia nec hoc quidem, sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remotâ pietate judicemur. Quis enim nostrûm vitam præcedentium Patrum valeat vel superare vel assequi. Et tamen David dicit, *Ne intres in judicium cum servo tuo; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, Paulus cùm diceret, *Nihil mihi conscius sum*; cautè subjunxit: *Sed non in hoc justificatus sum*. Joannes dicit: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos subducimus, & veritas in nobis non est*. Jacobus ait: *In multis offendimus omnes*. Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur? Solutioni ergo carnis appropinquans nonnunquam terrore vindictæ etiam justi anima turbatur. *f.*

f. Greg. lib. 24. mor. c. 2.

Quantâlibet enim justitiâ polleant, nequaquã sibi ad innocentiam vel electi sufficiunt, si in judicio districtè requirantur: sed hoc tunc ad solatium suæ ereptionis inveniunt, quod nequaquam se posse sufficere humiliter sciũt. Sub humilitatis ergo tegmine, à gladio se tantæ animadversionis abscondunt, & quo terrorem venturi Iudicis præstolantes continuo timore trepidant, eo indesinenter agitur ut paratiores fiant. *t.*

* *Magna quidem in multis est excellentia sanctis,*
Quorum animos superi gratia rotis alit.
Sed dum mens quædam potitur mala corporis ægri
Et pugnam interius exteriora movent;
Nunquam ita perfecto capitur Victoria bello,
Verâ ut securus pace fruatur homo.
Inter discordes motus contagia serpunt,
Ipsaq; Virtutum gaudia vulnus habent:
Vi faciat notum longa experientia cunctis,
Non esse hoc plenam tempore justitiam:
Nisi

t. Greg. c. 23. in c. 7. Iob.

Ni Dominus miserando lavet delicta suorum,
Et dans Virtutum munera, det veniam.u.

Facti sumus ut immundus omnes nos, tanquàm pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. *x.*

Rogo quid evidentius hac potest esse sententiâ, quâ non unam tantum, sed universas nostras justitias Propheta complexus, & circumspiciens omnia quæ vel immunda vel horrenda judicantur, quia nihil in hominum conversatione sordidius neq; impurius potuit reperire panno mēstruatæ eas comparare maluit. *y.*

Videtis ergò quemadmodum omnes Sancti non tam ex personaPopuli, quam ex suâ, & peccatores se veraciter fateantur, & tamen nequaquam de suâ salute desperent, sed justificationis plenitudinem, quam pro cōditione fragilitatis humanæ cōsequi se posse diffidunt, de gratiâ Domini & miseratione præsumunt. *z.* *

F 2 No-

u. Prosper epigramm. 89. *x.* Esaiæ 64, 6
y. Abbas Theonas apud Cassian. collat. 23. cap. 17.
z. ibidem cap. 18.

Noli, quæso, piissime Domine, scribere adversum me amaritudines meas, ut *intres in judicium cum servo tuo, sed secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Væ mihi misero, cùm venerit dies Judicii, & aperti fuerint libri conscientiarum, cùm dicetur de me: *ecce homo & opera ejus.* quid faciam tunc, Domine Deus meus, cùm cœli revelabunt iniquitatem meam, & adversum me terra consurget? Ecce nihil respondere potero, sed demisso capite, præ confusione, coram te stabo trepidus & confusus. Heu me miserum, quid dicam! clamabo ad te Domine Deus meus, *quare jacens consumor?* Plange anima mea, sicut vidua super virum pubertatis suæ; ulula misera & plora, quoniam dimisit te sponsus tuus? Miserere, ne desperem, sed te spirando respirem; & si ego cõmisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles, ne memineris dulcissime Jesu, quæ justitiæ adversus peccatorem tuum, sed esto memor benignitatis tuæ adversus creaturam tuam; ne memineris iræ adversus reum, sed memor esto misera-



Non me demergat tempestas aquæ, neq; absorbeat me profundum! Psal. 68. v. 19.



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

ferationis tuæ adversus miserum, obliviscere superbum provocantem, & respice miserum invocantem. Quid enim est Jesus nisi Salvator? *a*,

a. Aug. med. cap. 39.

XI.

Non me demergat tempestas aquę, neque absorbeat me profundum. *Ps. 68, 19.*

O Nimis instabilis dubii inconstantia Ponti,
Qui tot pellicibus carbasa fallis aquis!
Nempe fluis vitreis refluisq; argēteus undis,
Mentitur q; tuus dura metalla liquor.
Nonnunquam placidus, tacitæ stas more paludis,
Nec magis ulla lacu stagna modesta jacēt.
Sepè tibi horrificat vix summum fluctibus æquor,
Cùm levis exiguo stringitur unda Noto.
Mobilibusq; salit circū cava lignachoreis
Subsiliunt q; levi vela petulcarate.

Quin sinis æratis findi freta mollia rostris,
Viq́ tibi canas tonsa flagellet aquas:
Nunc, velut è duro rigeant tibi terga metallo,
Tot tereris remis, terra quot ipsa rotis.
Et tua, ne quâ parte, fides suspecta laboret,
Marmora perspicuo pandis aperta sinu:
Ceu crystallinio nequeat fraus esse profundo,
Aut latrat vitreo nullus in amne dolus.
Ecce ubi discinctam jam non tenet anchora puppem,
Auraq́ remigio prona secundat iter;
Quàm citò deserto discessit littore pinus,
Et jam nulla domus, nulla videtur humus;
Improvisa ratem medio circum æquore cingunt,
Hippotadæ laxis agmina missa cavis.
Non secus ac sævâ servus damnatus arenâ
Opprimitur Lybicis præda voranda feris.
Aut nemorum latebris deprensus fortè viator,
Prædonum subitò cingitur orbe latus.
Tum surgit tumidis præsagum fluctibus æquor,
Venturoq́ tremit discolor unda metu:

Mox

Mox ubi decertant simul Africus simul & Eurus,
Et Notus & Boreas incubuêre sălo;
Finditur abruptus varia in divortia pontus,
Distrahit ut fluctus quæq; procella suos.
Et patet horrendo præceps Neptunus hiatu
Mersurus pelago circumeunteratem,
Heu! gemit hic tumido pendens trabs anxia fluctu,
Et perit, undecimâ si prior unda venit.
Aut hæc, aut similis sălis est fallacis imago,
Tam citò de placido sæva fit unda mari.
Sed mihi, mentito simulata est fabula ponto,
Non ego de vestris, Tethy, querebar aquis.
Nec mihi, de rapidis, qui torquent æquora, ventis,
Nec mihi de regnis, Æole, verba tuis.
Nec mihi, de levibus, temerarie Typhi, carinis
Ire quibus liquidum primus es ausus iter.
A patrio numquã sŏluit mea littora puppis;
Nec vidi virides, Numina sălsa, Deos;
Nec ventos didici, neq; ventis vela tetendi,
Qui facit hanc artem, quam facit, arte luat.

Quem cecini pontus, mea vita, similima ponto est,
Quæq; tulit puppis, illa ego, puppis eram.
Æolidæ magno flantes circum agmine fratres,
Sunt animi motus, gens violenta, mei.
His ventis, hâc nave, per hæc ego cærula currens,
Tot sensi humanis rebus inesse vices.
O fallax nimiùm mendaci vita sereno,
Quæ nigra de lætis tam citò regna facis?
Nulla deest Venerum tibi copia, nulla lepôrũ,
Omnia blanditiis, lætitiisq; fluunt.
Dũ furit intus amor, veniisq; agitata libido,
Triste nihil, fraudem fraude tegente, patet.
Ast modò, cùm stygio vitiorum erumpere fluctu,
Hisq; animum ventis asseruisse lubet;
Tunc videt, heu! quanto fuerit mens hausta profundo,
Quoq; gemit, scelerum quàm grave sentit onus.
Atq; utinam! ut, liquidis Pelagi qui mergitur undis,
Exerit Oceano terq; quaterq; caput;

Sic

Sic imo scelerum mersus semel æquore mentem,
Submersas superis tendat ab amne manus!
Sed velut in tetrum lapsus telluris hiatum.
Quem simul & putei tracta ruina tegit;
Aut gelidas fracto subiit qui marmore crustas,
Nequicquam obstructo flumine tentat iter:
Non aliter, prono scelerum qui vortice raptus
Vix tulit à superis, unus & alter, opem.
Aspicis, ut certem pugnantibus, una, duobus;
Bella movente Noto, bella movente salo?
Aspicis, ut caput hoc prope mergat & Auster & unda,
Iam q; necaturas ducere cogor aquas?
Aspicis hanc animam gemino succumbere fato?
Nec tua sunt velis astra secunda meis?
Aspice nec rabido luctantem desere ponto,
Naufraga nec medio lina relinque freto.
Tenda manum potius misera, Palinure, natanti,
Et mento digitos subde vocate tuos.

Non me demergat tempestas aquę, neque absorbeat me profundum. *Ps. 68, 15.*

QVam diu miser jactabor in fluctibus mortalitatis meæ, clamans ad te, Domine, & non audies? Audi clamantem Domine *de hoc mari magno*, & adduc me ad portum felicitatis æternæ. Felices, qui de periculo *maris hujus* educti, ad te *Deum, portum tutissimum* pervenire meruerunt! ô verè felices, qui de *pelago* ad *littus*, de exilio ad patriam, de carcere ad palatium pervenerunt, optatâ jam quiete beati! Infelices heu nos miseri, qui per *maris hujus magni fluctus procellosasq; voragines navim trahimus* ignorantes an ad portum salutis pervenire valeamus! *a.*

Pater misericordiarum, audi ejulatum pupilli tui, & porrige manum tuam, optimam adjutricem, ut retrahat me *de profundis aquarum, & de lacu miseriæ & de luto fœcis*, ne peream vidente misericordiâ oculorum tuorum, aspiciente clementiâ viscerum

a. Aug. soliloq. c. 35.

rum tuorum, sed evadam ad te, Dominum Deum meum. *b.*

Pelagus enim longè lateque protensum *hæc vita*, & quemadmodum in mari universo sinus diversi, aliis atque aliis tempestatibus commoventur præcipuè: velut Ægæum ventis exasperatur; Thyrrenum verò fretum propter angustias; Charybdis autem quæ est Libyen versus, propter stagna Syrtis & brevia Pontus, magnitudine fluctuum atq; impetu; Hispanicus Oceanus, quia invius, carentiâ portuum & locorum ignorantiâ intricatus difficilis navigãtibus est; similiter alia Pelagi pars, aliis de caussis: sic & in vitâ nostrâ fieri videmus. *c.*

* Sic Propheta dicit: *De profundis ad te clamavi, Domine*: clamat namquè de profundis, id est, de imis præcordiis: clamat de profundis, sed quibus septus erat mœstus ac tristis, calamitatibus humanis: & clamat non voce, sed corde: non clamore sed fide, quam scit Deum libenter audire. *d.*

Mare vita nostra est: humana enim

F 6 mul-

b. Aug. soliloq. c. 37. *c.* Chrysost. hom. 82. in Matth. *d.* S. Zeno Veronens. serm. de Ionâ.

multum salsi & instabilitatis habent: Venti autem sunt tentationes incidentes &c. Quod mihi & admirandus ille David cognovisse videtur, dum ait: *Salva me, Domine: quoniam ingressæ sunt aquæ usq; ad animam meam*: &, *Libera me à profundo aquarum*; &, *perveni ad imum maris ac tempestas submersit me*, &c. *e.*

Navium quoque nomine *vita hominũ transitoria* designatur: quemadmodum & in Job: *Dies mei*, inquit, *transierunt sicut naves, poma portantes. f.*

Et huc, illucque *mentis nostræ navis* impellitur, quia & Paradisi celsitudinem meminimus, & *importunos tentationum fluctus* ex carne toleramus. *g.*

Quod autem mare abruptiùs quàm sæculum? tam infidum, tam mobile, tam profundum, tam immundorum spirituum flatibus procellosum? *h.*

Quod à diversis peccatis & variis tentationibus, velut quibusdã fluctibus æstuat, de-

e. Greg. Naz. in orat. cum revert ex agro. *f.* Rupertus l. 5. in c. 8. Apoc. *g.* Greg. l. 9. mor. c. 24. in c. 9. Iob. *h.* Ambr. præf. in 4. l. super Evang. Lucæ.

de quo scriptum legimus : *Hoc mare magnum & spatiosum. i.*

Nolite credere, nolite esse securi; licet in modum stagni fusum æquor arrideat; licet vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur; magnos hic campus mõtes habet. Intus incluſum est periculum, intus est hostis. In illo æstu, charybdis luxuriæ salutem rotat. Ibi ore virgineo, ad perpetranda naufragia scylla seu renidens libido blanditur. Hîc barbarum littus, hic Diabolus pirata, cum sociis portat vincula capiendis. *k.*

In hoc magno sæculi hujus diluvio, ubi circumflantibus procellis non invenitur fida statio, & locus eminentior ubi pes columbæ aliquatenus valeat requiescere. *l.*

Magnam faciunt tempestatem multitudines cupiditatum, quæ velut in quodam freto corporis navigantem hinc atque indè perturbant, ut gubernator sui esse animus non possit. *m.*

i. Chrysost. hom. 33. *k.* Hieron. epist. 1 ad Heliod. *l.* Ambr. in orationib. *m.* Ambr. Apolog. Poster. pro David. c. 3.

Mens quippe humana, quot tentationes patitur, tot flatibus movetur. Hanc enim plerumq; ira perturbat; cùm recedit ira, succedit inepta lætitia; luxuriæ stimulis urgetur; æstu avaritiæ longè lateq; ad ambienda, quæ terrena sunt, tenditur: aliquando hanc superbia elevat, aliquando verò inordinatus timor in infimis deponit. *n.*

[Ecce Domine] *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* & nisi tu (cui proprium est misereri semper & parcere) dexteram tuæ majestatis supponas, mergi cogor miserabiliter in profundum. *o.*

Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas. p.

Magnus est puteus, profunditas iniquitatis humanæ. Illuc quisque si ceciderit in altum cadet: metuenda ista res est vehemēter. Si videris hominem feciſſe iniquitatē, mersus est in putéum. Quando autem illi dixeris iniquitatem ipsius, & dixerit: verè peccavi, fateor non super eum clausit puteus

n. Greg. lib. 11. mor. c. 23. in c. 13. Iob. *o.* Auguſt. med. c. 39. *p.* Pſalm. 88.

teus os suum. Cùm autem videris eum dicere: Quid enim mali feci? *factus est defensor peccati sui; clausit super eum puteus os suum*, quâ eruatur non habet. *q.*

Spes humani generis, Christe, Deus de Deo, refugium nostrum & virtus, cujus lumen à longè, inter caliginosas nebulas, super maris procellas, quasi stellæ maris radius, oculos nostros irradiat, ut dirigamur ad te, portum. Gubèrna, Domine, navim nostram, tuâ dexterâ, clavo crucis tuæ, ne pereamus in fluctibus, *ne nos demergat tempestas aquæ, ne absorbeat nos profundum*; sed unco crucis retrahe nos ab hoc pelago, ad te solamen unicum nostrum, quem à longè (quasi stellam matutinã, & solem Justitiæ) vix lacrymantibus oculis in littore cælestis Patriæ, nos exspectantem videmus exaudi nos *Deus salutis noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè.* In mari turbulento versamur; tu in littore stãs, aspicis pericula nostra: *Salvos nos fac, propter nomen tuum.* Da nobis Domine, inter Scyllã & Charybdim ita tendere & tenere mediũ, ut utroq; peri-

T Augustin. in Psal. 68.

periculo evitato, securi perveniamus ad portum. r.

r. Aug. Soliloq. c. 35.

XII.

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus? Ioh. 14. 13.

Quis mihi securis dabit hospita tecta latebris?
Tecta, quibus dextra server ab igne tua?
Heu tuus ante oculos quoties furor ille recurrat,
Nulla mihi toties fida sat antra reor.
Tunc ego secretas, umbracula frõdea, sylvas,
Lustraq; solivagis opto relicta feris.
Tunc ego vel mediis timidum caput abdere terris,
Aut maris exesâ condere rupe velim.
Tunc voveam abstrusâ montis latuisse cavernâ,
Viva sepulchrales aut subiisse domos. (tes,
Aut numquã aspectos Phœbo, Phœbæq; pena-
Aut habitasse tuos, nox tenebrosa, specus.

Dum



Quis mihi hoc tribuat vt in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus!
Iob. 14. v. 13.

15



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Dum quatit astriferos flammatus Iuppiter orbes
Et jacit accensâ tela trisulca manu;
Tristia, ne noceant, metuendâ fulmina flammâ, (git.
Daphnide, qui metuit, tempora cincta te-
Tu rubra cùm torques furibundâ spicula dextrâ,
Nulla juvant foliis laurea serta suis.
Nulla juvant tacitis frondosa cubilia sylvis.
Sylva tuis oculis omnis & umbra patet.
Clauserat obscuras densis se frondibus umbras,
Carpserat arboreas qui malè primus opes;
Ast ubi vicino vestigia Numine sensit,
Erubuit, luco proditus ipse suo.
Nulla juvat refugo spelunca immanis hiatu,
Hospita montivagis lustra nec ulla feris.
Mitia quæ sensit Medus puer antra leonum,
Effera Chaldæos antra dedêre neci.
Nulla juvant clausis spelæa obscura latebris
Fida nec umbrarum, sæpta sepulchra, domus.
Avius occultâ deprendere, Lothe, cavernâ,
Et Cain è tumulo frater humate vocas.

Quid

Quid memorem ut tumidâ Ionas se merserit
undâ,
Nec mersum stabili texerit unda fide?
Hauserat immani Ionam quæ bellua ventre,
Innocuo Ionam bellua ventre venit.
Nulla fides vitreo pelagi, nisi vitrea, fundo;
Pervia perspicuo quid tegat unda freto?
Nulla fides clausis Libitinæ longa sepulcris;
Produntur tumulis ossa sepulta suis,
Nulla fides tacitis, quas vallāt saxa, latebris;
Tecta caverna suo sæpè retecta sono est:
Nulla fides nemori, vel opacæ frondibus umbræ,
Ambo caduca pari fronde, nemus q3 fide.
Nec mare, nec tellus, neq3 lustra, nec antra,
nec astra.
Tuta nec illa mihi, quæ super astra, via.
Tu potes hoc tutis solus caput abdere claustris,
Dum tua deposito fulmine dextra vacet.

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus? *Iob. 14, 13.*

Quod

Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam? Quis est locus recepturus fugitivum Dei? homines qui suscipiunt fugitivos, quærunt ab eis, à quo fugerint: & cùm servum invenerint alicujus Domini minùs potentis tum sine ullo timore suscipiunt, dicentes in corde suo; non habet iste talem Dominum, à quo possit investigari; cùm autem audierint Dominũ potentem, aut non suscipiunt, aut cum magno timore suscipiunt, quia homo potens falli non potest. Ubi non est *Deus?* qui fallit Deum? quem non videt Deus? à quo fugitivum suum non repetit Deus? quò ergo ibit fugitivus iste à facie Dei? vertit se huc atq; illuc, quasi quærens locum fugæ suæ: *si ascendero in Cœlum, tu, ibi es, si descendero in infernũ ades?* Si me extulero, te invenio repressorẽ. si me abscondero, te invenio inquisitorem. Quò ergo iturus sum, ut à facie tuâ fugiam, id est, iratum te non sentiam? Hoc consilium: sic fugiam à facie tuâ, sic fugiam à spiritu tuo; ab ultore spiritu, à vindice facie, sic fugiam. Quomodo? si *recipiam*

pen-

pennas meas in directum, & habitavero in extremis maris. Sic possum fugere à facie tuâ. Mirum si in extremis maris non est, qui nec apud inferos deest: *s.*

Va qui profundi estis corde ut à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos & quis novit nos? Idcircò arbitrantur Deum sua nescire consilia, quia in tenebris sunt opera eorum, & dicunt, *Quis videt nos? & quis novit nos?* non recordantes ejus quod ad Deum dicitur: *Tenebræ non obscurabuntur àte, & nox sicut dies illuminabitur, & sicut tenebræ ejus ita & lux ejus.* *t.*

Considera illum de quo ait in Ecclesiastico Syrah: *homo transgrediens in lecto suo, dicens in animâ suâ: quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, quem vereor?* hic qui se existimabat ab eo qui omnia videt, non videri, & tenebris putat commissa sua posse celari, umbram prætendit, sed frustrâ latere se credit, cùm oculus Domini lucidior sole, occulta omnia

s. Psalm. 138. August. in hunc locum: *t.* Hier. lib. 9. in c. 29. Isaiæ.

mnia deprehendat, tenebrosa illuminet & intimi cordis penetret conscientiam, atq; in alta & profunda descendat. Vanus ergo, qui putat tenebris esse se tutum, cùm lucem vitare non possis, quæ *lucet in tenebris*; *& tenebræ eam non comprehendunt*: quasi fugitivus itaque & malus mercenarius deprehenditur, & antequam se occultat agnoscitur, quia, Domino omnia antequam erant, cognita sunt, non solùm quæ facta; sed etiam quæ futura sunt. *u.*

Nil absente DEO loquimur, nihil abdita clausum
Pectoris antra tegunt, cernit Deus omnia præsens. x.

Hoc errore decepti Adam & Eva, audientes sonitum peditum deambulantis in Paradyso Dei, absconderunt se sub arbore. *y.*

* *Expavere diem, detecto in crimine testem:*
Tunc si illis specubus vastis se fortè barathrũ
Panderet, aut subitum tellus monstraret hiatum,

Non

u. Ambr. l. 1. de interpell. Iob c. 3, *x.* Iuvencus. *y.* Hieron. lib. 9. in c. 29. Isaiæ.

Non pigeat prono trepidor descendere saltu.
Coecis optant latuisse tenebris.
Quid jurat infelix oculos avertere, cum Te
Iudex ille videt? nolis cur ipse videre
Cum videare palam? Sol est, non fuscat amœ-
num (bem. y.
Debilis, & clarum visus non sustinet or-

Primus [itaque] homo post culpam, inter arbores Paradisi, absconsus invenitur, z

Sic habes Adam abscondentem se, ubi Deum cognovit esse præsentem, & quæsitum latere voluisse, & vocatum à Domino câ voce quæ latentis morderet affectum, hoc est, *Adam ubi es?* hoc est; cur te abscõdis? cur lates? cur fugis eum quem videre desiderabas? Ita gravis culpa est conscientiæ, ut sine judice, ipsa se puniat, & velare se cupiat, & tamen apud Deum nuda sit. *a.*

Quò te [Adam] duxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum, quem ante quærebas? Timor iste culpam fatetur, latebra prævaricationem. *b.*

Cain

y. Alcimus Avitus l. 3. v. 70. *z.* Greg. lib. 33. mor. cap. 3. *a.* Ambros. lib. 2. de pœn. cap. ult. *b.* Ambr. lib. de Paradyso cap. 14.

Cain quoque dicens: *si ejicis me hodie, à facie tuâ abscondar*, simili stultitiâ Deum arbitratus est ignorare. Et per Amos de impiis & peccatoribus dicitur: si *absconderint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo draconi; & mordebit eos. c.*

[Et tu] quò fugis Propheta [Iona?] non audisti quod David ait: *quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam?* In terram? sed Domini est terra & plenitudo ejus. Ad inferos? & ibi virtus tua non deerit. Ad Cœlum? ibi quoque te esse cognosco. In mare? & cò tendit dextera tua. Cùm navim fuisset ingressus turbantur maria, fluctus elevantur, & profundi pelagi arena monstratur; & sicut fidele mancipium, cùm servum fugâ lapsum, (nonnullis etiam communi Domino precioſis ablatis) omni animositate, contra ejus retentores insistit, nec antè derelinquit, nisi eum præsentaverit Domino; sic & mare, conservum agnitum, non alieno patrocinio, nullius postulato subsidio, sed propriâ virtute commotum, ut sibi redderetur, exposcit. *d.* *Nam*

c. Hieron. lib. 9. in cap. 20. Isaiæ. *d.* Chrysost. hom. de Ionas.

Nam qui putârat per mare evadi Deum
Et navi celari, Deo,
Nunc iste & intra belluam mersam mari,
Adesse sensit arbitrum.
O digna sancto claustra fugitivo Dei!
Capitur mari quo fugerat;
Altumq; vastæ missus in ventrem feræ,
Vivo tenetur carcere.
De nave jactus perit & undis navigat
Exul soli & hospes sali.
Spatiatur antro belluini corporis,
Captivus & liber reus. e
Ingredere in petram, abscondere in fossâ humo, à facie timoris Domini, & à gloria majestatis ejus. f.

Si [enim] umbrato repentè Cœlo solis claritas nostris aspectibus denegetur, & productis in nostram humilitatem nubibus, pluviæ terris immineant; si commotis, ut assolet, elementis, in rotam sui currus tonitrua concitentur, & hinc, indè fulgurum jacula, palpebris terribiliter objecta coruscent, (quamquam & consuetudine illâ cõtingant) pavemus, contremiscimus, & proni ad-

e. Pauli. car. ad Cytherium. f. Isaiæ 2, 10.

ni ad terram, depositâ superbiâ, cervices submittimus: quid faciemus in illâ die miseri, quando revoluto Cœlo, cum Angelicis virtutibus, igneus Dominus totus adveniet? quando cadentibus desuper stellis, sol in tenebras, & in sanguinem luna mutabitur? quando montes sicut cera liquescēt, quando terra ardebit, & arescent flumina, & maria siccabuntur, & contra rerum naturam consumpto divinitus humore, ariditatem in aquis ignis operabitur? Quando peccatores *dicent montibus, Cadite super nos, & collibus, Tegite nos*: quando vocabūt homines mortem, & vocata non veniet; quando discrimina vertentur in vota, & quod semper oderunt homines, concupiscent? g.

Esto mihi [Domine] *in Deum protectorem & in domum refugij* domus refugij, tu mihi esto, Deus protector, domus refugij. Quò fugio? ad quem locum tutus fugio? ad quem montem? ad quam speluncam? ad quæ tecta munita? quam arcem teneam?

G qui-

g. Hier. ep. Tomo 9. ad Amic. In scientiâ divinæ legis.

quibus muris ambiar? quocumque iero, sequor me. Quicquid enim vis, potes fugere homo, præter conscientiam tuam. Tu mihi eris domus refugii, ad te confugio, nam à te, quò fugiam? Quocumque iero, ibi te inveniam; & si iraſceris, ultorem te invenio; si placatus es, adjutorem. Nihil mihi ergò restat, nisi ad te fugere, & non à te. Ut evadas hominem Dominum, quicumque servus es, fugis in ea loca, ubi non est Dominus tuus, ut evadas Deum, fuge ad Dominum; nam non est quò fugias Deum; præstò sunt omnia & nuda Omnipotentis oculis. *h.*

Utile prudĕti est mundana adversa cavere,
Et quod vitandum prospiciat fugere;
Sed cum peccati merito manus Omnipotentis
Omnia concludens arctat ubiq; reum,
Unum perfugium tutum est DEus ipse timenti,
à quo discedens ne pereat, redeat. i.

XII. Num-

h. Aug. in Psalm. 30. i. *Prosper epigrammatum.* 74.



Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, vt plangam paullulum dolorem meum! Iob. 10. v. 20. 13.

16



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

XIII.

Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte ergo me, ut plangam paululùm dolorem meum. *Iob. 10, 20.*

Scilicet, in magno cupis hoc me ponere lucro,
Addita quod vitæ pars quota cumq; meæ.
Si numerata forent aliquot mihi lustra, vel anni,
Muneris hic poterat nomen habere favor:
Stamina sed brevibus junxisse fugacia filis;
Obsecro, dic, pauci quantula summa, dies?
Nempe ita, qui vitam modò ducere cœperit infans,
Dicitur moriens, occubuisse senex,
Sic sua nonnullis descripta est vermibus ætas,
Una quibus brevis est, integra vita, dies.
Sic aliquis numerat celeres sibi floscŭlus horas.
Natali tumulant quem sua fata die.
Floscule mane puer, mediâ vir, floscule, luce;
Floscule, sub noctem, Sole cadente, senex.

Sic oreris q3 uno moreris q3, ô floscule, Phœbo;
Vno fis q3 puer, vir q3, senex q3 die.
Staret adhuc volucrum saltem rota lenta dierum,
Hora nec admissis qualibet iret equis;
Vermiculi canerent; tot plenis viximus horis;
Floscules, & totidem, diceret, herba fui.
Sed tẽpus rapidis volat irreparabile pennis,
Fluminis in q3 modũ, lubricus annus abit.
Mensstruus impulsis rapitur quoq3 solibus orbis,
Et fugiunt, nullo frena tenente, dies.
Deniq3 præcipitis rota concita vertitur horæ,
Nec remeare potest, quæ semel hora fuit.
Invida res, tempus; sua se per puncta trucidat;
Se pariter fugiens, se pariter q3 sequens,
Qualis teda suo se flammea funerat igne,
Quæ sibi fatalem congerit ipsa rogum.
Sic redit in proprium sæclorum circulus orbem,
Flectitur in q3 suas annua meta rotas.

Non

Non fuit antiquis malè fabula prodita chartis,
Quæ genitor sobolem commolit ore suam:
Nempe vorax annos mensesq; interficit avum;
Seq; fluendo parit; seq; fluendo necat.
Hora diem, mensemq; dies depascit eundo,
Bis-senisq; senex mensibus annus obit.
Annus obit, mensesq;, diesq;, horaq;, recedunt,
Et suus in se iterum tempora gyrus agit.
Ergo meo exiguum spatium concede dolori,
Non nisi concesso tempore fata querar.
Non ego supremis tempus mihi risibus oro,
Non facit ad risus réve, locúve meos.
Pro lacrymis spatium, spatium pro planctibus opto. (ræ est.
Hæc mihi tantillæ, quam peto, caussa moræ est.
Ite igitur magnis, lacrymæ, mea flumina rivis;
Ite, ferite truces ora sinumq; manus.
Ite per os lacrymæ, sævite in pectora palmæ;
Pars bona, dum statis, temporis, ecce fugit.

Sentio, eunt lacrymæ; repetuntur, sentio, planctus;
Iam flevi & planxi, sistite; jam satis est.

Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum. *Iob. 10, 20.*

QVid in hoc mundo stabile, quid perenne? Audi cujusdam venerabilis viri vocem: *Tempus*, inquit, *vitæ meæ levius cursoribus fuit. k.*

Cùm enim primùm homo peccavit, æternitas mortalitate mutata est, in nongentos & ampliùs annos; exinde paulatim recrudescente peccato, in breve tempus, hominum vita contracta est. *l.*

Breves dies hominis sunt; numerus mensium ejus apud te est; constituisti terminos, qui præteriri non poterunt. m.

Quare cautum se ac sollicitum vivere ostendit, qui brevitatem præsentis vitę considerans, non ejus usum, sed terminum con-

k. Chrys. ep. ad Theodor. Mon. tom. 5. *l.* Hieron. ep. 21. ad Paulam. *m.* Iob. 14, 1, 4.

conſpicit; ut ex fine colligat nihil eſſe quod tranſiens delectat. Hinc namque per Salomonem dicitur, *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis & dierum multorum; qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.* Igitur cùm culpa animum tentat, mens neceſſe eſt, ut brevitatem ſuæ delectationis aſpiciat; ne ad vivacem mortem iniquitas rapiat, cùm conſtet quòd ad terminum citiùs mortalis vita percurrat. *n.*

Sæpè etenim dum præſentis vitæ brevitas, quaſi diu perſeveratura diligitur, ab æternâ ſpe animus frangitur, & delectatus præſentibus, deſperationis ſuæ caligine reverberatur. *o.*

[Sed] ſancti viri, quia brevitatem vitæ indeſinenter aſpiciunt, quaſi quotidie morientes vivunt, & tantò ſe ſolidiùs manſuris præparant, quantò & nulla eſſe tranſitoria ſemper ex fine penſant. Hinc quippe Pſalmiſta, veloci curſu fugere vitam peccatoris aſpiciens; ait: *Puſillum adhuc, & non e-*

n. Greg. lib. 9. mor. c. 44. in cap. Iob. *o.* Greg. lib. 7. mor. cap. 20. in cap. 6. Iob.

rit peccator. Hinc iterum dicit; *Homo, sicut fœnum, dies ejus.* Hinc Isaias ait. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, sicut flos agri.*

Attendat quid sit homo; non superbiat: *homo tamquam fœnum dies ejus.* Quid superbit fœnum, ad tempus modò florens, post paululum arescens? Quid superbit fœnum ad tempus vigens, & hoc ad parvum tempus donec sol candescat? *Sicut flos agri ita efflorebit.* Quàm exiguo tempore transeunt flores? & hoc est pulchrum in herbis. Hoc quod valde pulcrum est, hoc citò cadit. *Omnis caro fœnum.* Et claritas luminis ut flos fœni: fœnum aruit & flos decidit.

Quasi flos egreditur & conteritur. p.

* Rota est incertè fixa, brevis hæc & multiplex vita. Sursum movetur, & deorsum trahitur. Fugiens tenetur, & manens effugit. Quocirca ipsius inanitas nullo modò rectiùs describi potest, quam si vel fumus, vel insomnium, vel herbæ flos appelletur, &c. *

Quid

p. Aug. in Psal. 102. *q.* Gregorius Naz. in distich. Iamb.

Quid enim sunt nati homines mundo, nisi quidam flores in campo? tendamus oculos cordis, in hanc latitudinem mundi præsentis; & ecce quasi tot floribus, quot hominibus plenus est: vita itaque in carne, flos in fœno est. Homo etenim more floris procedit ex occulto, & subitò apparet in publico; qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Carnis nos viriditas ostendit, sed ariditas pulveris ab aspectibus retrahit, quasi flos apparuimus, qui non eramus; quasi flos arescimus, qui temporaliter apparebamus. r.

[Imò] quid ab his bestiolis distamus, quas ferunt apud Hypanim fluvium (qui ab Europæ parte in pontum influit) nasci atq; unum diem vivere? sicut ergo ex his ea quæ octavâ horâ mortua sit, provectâ esset ætate mortua, quæ verò occidente sole, decrepita, eò magis si etiam solstitiali die, sic si longissima ætas, cujusvis hominis conferatur cũ æternitate, in multo minore brevitate, quàm illæ bestiolæ reperiemur. s.

r. In idem cap. 14. Iob. Gregor. s. Isidor. Clarius orat. 10. de morte.

----- Quid enim, mihi dicito, longum
*Hæc mortalis habet fatoq; obnoxia vita?**

Tenes diem istum? si tenuisti hesternũ, tenes & hodiernum. sed hesternum inquis, non teneo, quia jam non est, istum autem teneo in quo sum, & qui mecum est. Itáne? de isto excidit tibi jam quantum à primâ luce transierit. Nonne iste dies à primâ horâ cœpit? Da mihi primam horam ejus: Da mihi & secundam ejus, quia & fortè ipsa transvolavit. Tertiam, inquis, dabo tibi, fortè enim in ipsâ nunc sumus: Certè ergo sunt isti dies, & est tertia dies; & si tertiam dabis, non diem sed horam dabis. Verumtamen ne hoc quidem tibi concedo, si mecum utcumque ista transiliisti. Da mihi vel horam tertiam, ipsam mihi da in quâ es. Si enim aliquid ejus jam præteriit: & aliquid ejus adhuc restat; nec quod præteriit aliquid mihi potes dare, quia jam non est; nec quod restat, quia nondum est. Quid mihi de horâ istâ quæ nũc peragitur dabis? quid de illâ mihi dabis? Cui committam hoc verbum, ut dicam, est. Cùm dicis ipsum est;

* Nazianz. in præcept. ad Virgines.

est; certè una syllaba est, & momentum unum est, & tres litteras habes in ipso ictu. Ad secundam hujus verbi litteram non pervenis, nisi prima finita fuerit. Tertia non sonabit, nisi & cum ipsa secunda transierit. Quid mihi de hâc unâ syllabâ dabis, & tenes dies, qui unam syllabam non tenes? momentis transvolantibus cuncta rapiuntur. Torrens rerum fluit. Isti ergo dies non sunt, antè abeunt penè quàm veniunt, & cùm veniunt, stare non possunt. Jungunt se, sequuntur se, & non se tenent. *u.*

Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei. x.

[Hinc] sancti viri, præsentis vitæ dies, nihil esse conspiciunt, quia illuminatæ mentis oculos in considerationem æternitatis figunt. *y.*

Per horarum [namque] momenta crescimus atque decrescimus, nec in eodem manemus statu. Ipsum quoque quod loquimur, dictamus & scribimus, de vitæ nostræ parte prætervolat, qui dudum infans, subi-

u. August. in Psalm. 38. *x.* Iob. 7. *y.* Greg. lib. 8. mor. c. 20. in Iob.

tò puer; qui puer, repentè juvenis; & usque ad senectutem per spatia mutatur incerta; & antè, se senem intelligit, quàm juvenem non esse miretur. Z.

[Denique] quicquid temporis vivitur, de spatio vivendi demitur, & quotidie fit minus, minusq; quod restat; ut omninò nihil aliud sit tempus vitæ hujus, quàm cursus ad mortem, in quo nemo vel paululùm stare, nec aliquando tardiùs ire permittitur, sed omnes urgentur pari motu, nec diverso impelluntur accessu: neque enim cui vita brevior fuit, celeriùs diem duxit, quàm ille cui longior. Unde ex quo homo cœpit esse in hoc corpore, in morte est. Quid enim aliud, diebus, horis, momentisq; singulis agitur, donec ea consummata mors, quæ agebatur, impleatur, & incipiat jam tempus post mortem, quod cum vita detraheretur, erat in morte. *a.*

* Saturnus filios suos comediſſe fertur, quod omne tempus quodcunquè gignit, consumat. *b.*

Nostra:

a. Aug. lib. 7. de civitate Dei, c. 10. *b.* Fulgentius Mytholog. lib. 1.

Nostra certè metatio, quod clausis vel in totum Homericis oculis liquet, totum versiforme est. Dies & nox invicem vertunt: Sol stitionibus annuis, Luna modulationibus menstruis variat: Siderū distincta confusio interdum dejicit quid, interdum resuscitat: Cœli ambitus nunc subdivo splendidus, nunc nubilo sordidus: aut imbres ruunt, & si quâ missilia cum imbribus, dehinc substillum, & denuo sudum, &c. *c.*

Unum hoc hominibo bonum ac firmum est, nimirum sublatâ cruce pedem hinc efferre, lacrymas fundere atq; ingemiscere, mentem divinarum rerum studio mancipare, cœlestium bonorum spem pectore fovere, ita se comparare ut Trinitatis splēdor, qui puris animis impertiri solet, nobis illucescat: à stultâ insuper carnis contagione mentem abrumpere, imaginem què illā, quam divinitùs accepimus, puram atquè integram conservare, vitam ab hac vitâ alienā ducere, ac deniquè cum altero mundo mundum hunc commutando, difficultates omnes hujus vitæ molestiasquè forti animo perferre. *d.* *. Benè

c. Tertull. de Pallio. *d.* Greg. Naz. de vitri itinerib9.

Benè itaque dicitur, *Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum.* Quia nisi à reatu culpæ, quo nos ligavimus, misericorditer dimittemur, perfectè flere non possumus, hoc quod in nobis ipsis, contra nosmetipsos dolemus: sed tunc veraciter reatus nostri dolor plangitur, cùm tenebrosa illa inferni retributio, intento timore prævidetur. *e.*

Sed sicut moderata afflictio lacrymas exprimit, ita immoderata subducit; quâ mœror ipse quasi sine mœrore fit, qui afflicti mentem devorans, sensum doloris tollit; *f.*

Sæpè namque peccator iniquitatis suæ vinculis ita constringitur, ut pondus quidem peccatorum toleret, sed tamen, quia tolerat, ignoret. Sæpè autem si cognoscat, quanto reatu premitur, erumpere in lacrymas conatur, & non potest, ut hunc in sè mente liberâ, & conversatione integra persequatur. *Flere ergo dolorem suum* non valet, qui & iniquitatis suæ reatum considerat

e. Greg. lib. 17. mor. cap. 45. *f.* Gregor. lib. 9. mor. cap. 44. in cap. 10. Iob.

rat, & tamen præ terrenæ occupationis pondere, hunc & gemere nequaquam vacat: *flere dolorem suum* non valet, qui primæ quidem consuetudini contraire nititur, sed tamen adhuc succrescentibus desideriis carnis gravatur. Hujus doloris præsentia Prophetæ mentem cruciaverat, cùm dicebat, *Dolor meus contra me est semper. quoniam iniquitatem meam ego pronunciabo, & cogitabo pro peccato meo.* Tunc igitur ad *plangendum dolorem* nos Dominus *dimittit*, cùm & mala nobis, quæ fecimus demonstrat, atque adhęc eadem flenda quę cognoscimus, adjuvat. *g.*

Hoc solùm ergo Domine, præsta, quod deprecor: Dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes, & plangam cum sodalibus meis. h.

Sexaginta dies plangere nobis demonstrat planctum præsentis vitæ, dicente Domino: *Beati qui lugent. quoniam ipsi consolabuntur.* Desertum ergo plangimus hujus mundi (desertum enim dicitur res ubi non manetur) quia ergo hîc non permanetur, deser-

g. Ibid. h. Iudic. 11.

desertum dicitur. Plangendum est ergo in vitâ istâ caducâ, ruinis plenâ, casibus obvolutâ; ut cùm plangimus, suscipiat Dominus immolationem animæ nostræ. *i.*

i. Chrysost. hom. de Iephte.

XIV.

Vtinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent! *Deut. 32, 29.*

Prò pudor! usq; adeò est homini mens cæca futuri;
Vt nisi quæ videat, nulla pericla putet?
Scilicet hoc sapere est, tantùm præsentibus angi,
Nec procul aspectis consuluisse malis!
Ante tubas, Miles, dicto parat arma duello;
Cùm sonuêre tubæ, serius arma parat:
Navita, quas captat, præsagus prospicit auras,
Anchora velivolum nec remoratur iter:
Quas veniente metet segetes æstate colonus,
Credidit exultis, antè, colonus agris.
Provida quin etiã metuens formica senectæ,
Vectat in annonam paucula farra suam.

O quid



Vtinam saperent et intellegerent ac nouissima prouiderent! Deuteron. 32. v. 29.

BIBLIOTEKA OSOLINEUM

O quid agis, gens eventus, ignara futuri?
Tempora, quæ veniunt postuma, nulla times?
Stamina perpetuo fors nent adamantina filo,
Aut cessant triplices voluere pensa colus?
Falleris; ah! nulli datur has placasse sorores;
Vna licet pareat, de tribus, una secat.
Fœdera fors pacto sanxêre perennia clavo,
Concordes stabili vitaq; morsq; fide?
Falleris, ah! nimium tibi pacta faventia fingis,
Non servant ullam vitaq; morsquè fidem.
Antè, nivem fidis lambent incendia flammis,
Iuraque fœdifragis sanciet Auster aquis.
Antè, dies nocti; pacem nox antè diei
Servet, & infestis accubet agna lupis.
Omnia letifero latè Mors subjugat arcu,
Quidquid & hoc Phœbi vescitur igne necat.
Nemo venenata vitavit arundinis ictum,
Omnis ab hâc cervix, cuspide, vulnus habet.
Hic teneros Matrum rapit inter brachia, natos,
Aut cunas, tumulum, cæde recente facit.

Hîc

Hîc pueros, alibi configit arundo puellas;
Hîc juvenes: illic funerat illa senes.
Strataq; jam nullo discrimine funera miscet:
Militis atq; Ducis corpora mixta jacent.
Nec micat aurata tibi Cræse cadaver aroma,
Pulcrior aut tuus est, pulcra Rebecca, cinis,
Aspice, quid cineres sit Cæsaris inter & Iri?
Omnibus en color est unus, & unus oder.
Quid juvat his igitur tãtum considere rebus,
Cui letbi imperio vita soluta foret?
Stat sua cuiq; dies, depleto ferrea fuso,
Seriùs aut citiùs quemlibet urna vocat.
Cogimur huc omnes, huc summus & infimus ordo,
Ibimus, emenso tempore quisq; suo.
Actum si vacuas animus simularet in auras,
Vt vapor in nebulas extenuandus abit!
Morsq; foret nostræ quoq; meta novissima vitæ, (mi?
Mors simul amborum corporis atq; ani-
Quã bona mors esset posituris morte dolores,
Quos nova post vitam, vitáve mórsve daret? (ram,
Quilibet extremam lætus properaret ad ho-
Et puto, vivendi vix superesset amor.

Sed

Sed dolor, heu! non est mors ultima linea rerum: (rogus.
Non necat hic animam qui cremat ossa
At postquã è terris anima exhalata recessit,
Iudicis extemplò sistitur ante pedes.
Ille sedet justumq; & inexorabile Numen,
Flammaq; sunt oculi flammaq; fulva caput. (lor:)
Illa (tremens, metuensq; oculos attollere Cœlo:)
Dura catenatâ vinculamente gerit.
Ille sinus animi, fibrasq; introspicit omnes,
Quodq; latet tacitum nocte favente nefas.
Illa scelus; convicta, suum pudibũda fatetur.
Nec videt, effugio, quem petat, esse locum.
Ille simul Iudex, testis simul, & simul actor,
Comperti statuit criminis esse ream;
Illa memor nullis hanc flecti questibus aulã,
Heu! frustrà effusis se sepelit lacrymis.
O, quis tunc animæ sensus, quæ cura relictæ,
Nullus ubi pro se, jure patronus agit!
Nempe vocat montes & inhospita culmina, cautes; (put.
Antraq; queis trepidum condat operta caO Anima! ô Iudex! ô non placabilis urna!
Quis secũ hæc meminit, nec citò diriguit?

Sed

Sed nondum hoc tanti clauduntur fine dolo-
res; (*super:*
Altera adhuc restant, vitaquè, morsquè
Vita perennanti quæ sæcula protrahet ævo,
Mors longæ extremum non habitura diē.
Ah quibus, ah quantis laniabitur hæc tor-
mentis!
O quibus, ô quantis affluet illa bonis!
Illa, suas pascit Divino nectare mentes;
Hæc, miscet liquidâ pocula plena pice,
Illa, Chely Angelicâ vel gutture carmina
funait;
Hæc, gemit horrendis exululata sonis.
Illa, agit æternas cœlo plaudente, choreas;
Hæc, salit ad colubros, sæva Megæra, tuos.
Illa, nec æstivis, gelidis nec aduritur astris;
Hæc furit immitis igne geluquè vadi.
Illa, per ætherios agit otia mollia campos;
Hæc, agit æterni triste laboris opus.
Illa dolorum expers, mala nulla, nec aspera
sentit;
Hæc, patitur dirum quidquid Avernus
habet.
O felix opibus, felix tot vita triumphis!
O gravis, ô tantis mors metuenda malis?

Vel

Vel tua, vel tua, nos dubio manet alea jactu;
Alea, non aliâ projicienda vice.
Ah subeant vestri geminæ sic pectora curæ,
Vt semel alterius sors obeunda cadet!

Vtinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent.

Deut. 32, 29.

O Gens sine consilio & sine prudentiâ! *Vtinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!*

Saperent, damnatorum multitudinem; salvandorum paucitatem, & temporalium rerum vanitatem.

Intelligerent, tria; scilicet peccatorum multitudinem, bonorum omissionem, & temporis amissionem.

Providerent, tria; scilicet mortis periculum, extremum judicium, & æternum supplicium. *k.*

Sed oculos non vis habere nisi in præsentia. *l.*

Perversa quippe anima rebus præsentibus

k. Bonaventura opusc. de contemptu sæculi.
l. August. in Psal. 48.

bus dedita, in terrenis voluptatibus reloluta, abscondit sibi mala sequentia, quia prævidere futura refugit, quæ præsentem lætitiam perturbant; dumque in præsentis vitæ oblectationibus se deserit, quid aliud quàm clausis oculis, ad ignem vadit, & indè dicitur per Paulum: *qui gaudent tamquam non gaudentes sint*; quia etsi qua est præsentis temporis, ita est agenda lætitia, ut nunquã amaritudo sequentis judicii recedat à memoria; quatenus dum mens pavida extremæ ultionis timore transfigitur, quantum tunc præsens lætitia, tantum pòst, ita subsequens temperetur: si extrema mala nostra formidolosè & indesinenter aspicimus; juxta hoc quod per quemdam sapientem dicitur: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. m.*

Sed quæ sunt novissima tua, quæ providere sollicitè debes? summa totius providentiæ est, utique illa terribilis hora, in qua misera anima tua, ex hoc corpusculo corruptibili timens est egressura, in illa nimis metuen-

m. D. Greg. hom. 39. in Evang.

metuenda extremâ horâ; quis amicorum, quis parentum tuorum veniet cum gladiis & armis auxilium ferre? Non enim erit tũc, qui consoletur te ex omnibus charis tuis, respicientibus etiam ad auxilium & adjutorium hominum; sed refugium tuum tantummodo est apud Deum. Reduc ergo fili mi, sedulus in memoriam illum extremũ exitus tui diem, & antequam misera anima tua, de carcere carnis exeat, provideat, quò vadat. Quando enim homo fit non homo. hoc est quando ægrescit; ægrotando ægritudo crescit; peccator expavescit; cor contremiscit; caput obstupescit; sensus evanescit; virtus exarescit; vultus pallescit; facies nigrescit; oculus tenebrescit, auris surdescit; nasus putrescit; lingua fatiscit; os obmutescit; corpus tabescit; caro marcessit. Tunc carnis pulcritudo fœtor efficitur, & putredo tunc solvitur in cinerem, & vertitur in vermem.

Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror:
Sic in non hominẽ vertitur omnis homo. n.

Age

n. Aug. Tom. 9. Speculo pec. c. 5.

Age jam, cùm ad aliud ultimum Judicium venerimus, ab eo Judice judicandi, qui nec falli occultatione criminum potest, nec ad impunitatem promerendam muneris alicujus oblatione corrumpi, cùm cœperint omnium secreta revelari, & non solùm actus ac verba, sed etiam ipsæ cogitationes ostendi; quid faciemus sub tanti Judicis majestate? quid excusationis obtendere poterimus, quà nos defensionis larte purgabimus? quæ nobis subventura est pœnitentia, quam in hâc carne contempsimus? quæ nos defensura sunt opera bona, quæ in hâc vitâ non fecimus? ad quos Apostolos, aut ad quos alios Sanctos confugituri sumus, quorum exempla simul ac verba despexerimus. An fortè aliquos ibi fragilitas corporis excusabit? sed excusationi eorum reclamabunt omnia sanctorum exempla, qui cum fragilitate carnis, in carne vincentes, quod fecerunt, utique fieri posse, docuerunt. Quid ergo responsuri sunt, si eis Dominus dicat; si potuistis, quare non restitistis desideriis peccatorum? si non potuistis, quare meum, contra peccata, non

ta, non quæsistis auxilium? Nonne ad hæc obmutescentibus & quid excusationis referant non habentibus, dicet: *Ligate eos manibus & pedibus, & mittite in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium, ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Hæc & his similia libenter audire vel legere, jugiter ante oculos mentis adducere; cogitare, quale malum sit, ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi, beatissimâ Sanctorum omnium societate privari; fieri patriæ cœlestis extorrem; mori vitæ beatæ; morti vivere sempiternæ; in æternum ignem, cum diabolo & angelis ejus expelli, ubi sit mors secunda, damnatis exilium, vita supplicium; non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat; exundantis incendii terribiles crepitus pati? barathri fumantis amatâ caligine oculos obcæcari; profundo gehennæ fluctuantis immergi; edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri: hæc & multa similia cogitare, nihil est aliud, quàm vitiis omnibus repudium

dare, & omnia blandimenta carnalia refrenare. *o.*

Attende ergo, in illâ terribili horâ de quâ loquimur, misera peccatoris anima. Quando de mundo exitura & itura es; aderunt mox ministri, maligni illi scilicet diaboli, illa verè tartarea monstra velut leones rugientes ut rapiant prædam, tunc horribilia patebunt loca pœnarum, chaos & caligo tenebrarum, horrorum, miseriæ & tribulationis; tremor, timor angustiæ & confusionis; dolor horrendæ visionis; tremor tremendæ mansionis; locus flentium, ubi stridor dentium, ubi morsus vermium, ubi clamor dolentium, ubi luctus gementium, ubi est vox clamantium peccatorum & dicentium; *Væ, væ nobis filij Evæ?* quid tunc proderit scientia jactantia, sæculi pompa, mundi vanitas, terrenæ dignitatis cupidita? *p.*

Dic mihi, ubi tunc amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? ex eis remansit nisi cineres & vermes. Attende dili-

o. Prosper lib 3. de vitâ contemplat. *p.* Aug tom. 9. Speculi peccat. Cap. 7.

diligenter, quid sunt, quid fuerunt? homines fuerunt sicut tu, comederunt & biberunt, riserunt, *duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. q.* [Imò] molliùs educata corpora graviùs fœtent post mortem. *r.*

Aspera non Cyris, non Crœsis Parca pepercit,
Hisque etiam, nuper sub quibus orbis erat.
Te quoque, Alexander, victor grassate per orbem,
Perdidit immodici copia sumpta meri.
Inter defunctos, quidnam est discriminis? Ossa
Et cineres Iri, Tantalidisque pares.
Par Constantino famulus meus (hic ego tantùm
Excipio tumulum) dives, inopsque, pares.
Atque hic ista quidem. Ast alio qua condit in avo,
Ultima lux pravis, quis memorare queat?
Horrida flamma, gravis caligo à luce remotis,
Vermis, qui memores criminis esse facit.

q. Bern. lib. med. c. 2. r. Petrus Dam. epist. ad Blancam. cap. 30.

Non natum esse, tibi melius, scelerate, fuisset,
Aut natum, prorsus more perire feræ,
Quàm mala tot passum in terris, sævosq; dolores, (pati.
Post gravior aiterum, tempus in omne
Atque utinam matris me mors rapuisset in alvo!
Nam tenebræ nato, mox mihi fletus erat. s.

Ergo, ô anima, sive vigiles, sive dormias, semper in auribus tuis illa horribilis tuba resonet: *Surgite mortui, Venite ad judiciū.* O anima nunquam excidat à tuâ memoriâ: *Ite maledicti in ignem æternum: Venite benedicti, percipite Regnum.* O quid potest lamentabilius & terribilius cogitari quàm *Ite?* & quid delectabilius exprimi quàm *Venite?* duæ sunt voces, quarum nihil horribilius unâ, & nihil jucundius alterâ poterit audiri. *t.*

An cupis adversus scelerū fœdissima quæq;
Vulnera perfacilē dem tibi promptus opē?
Cùm te turpè aliquid tentat fac illicò mentis
Se se mors oculis offerat atra tuæ:

Quis-

s. Nazianz. de extremi hominis utilitate.
t. Aug. Soliloq. cap. 3.

Quisquis enim horrendum Christi cum morte tribunal
Cogitat, hic omnis criminis hostis erit.
Flante velut validonubes Aquilone fugantur, (gat.u.*
Sic meditata scelus mors procul omne fugat. Dillius in Anthologiâ.

*Exercitium pœnitentiæ ex meditatione Novissimorum, D. Joh. Gerhardi.

Medit. 1.

Sancte Deus, mundi Iudex justissime, semper
Occurrant oculis heu mea facta meis!
Omnes exspecto mortē tremefactus in horas;
Nam me momentis omnibus illa manet.
Iudicium totam per vitam cogito; vitæ
Reddenda est ratio quo mihi tota meæ.
Hanc video, proh facta & verba, & vota nefanda!
ô modus, ô numerus! sine modoque carens!
Heu sentina mali! quodque est caput omne malorum,
Apparet veri gutta nec una boni.
Sivè quid apparet, specie mentitur inani,
Ingenitâ sordet funditus omne lue.

Si sua facta tuâ metuant subsistere lance,
Sancti; non metuam perditus ipse meis?
Et si justitiæ pannus sunt tabe cruentus;
Heu quid erunt sordes criminis? heu quid erunt?
Quod si audit nequam servus qui perficit omne
Imperium Domini; qui nihil, ah quis erit?
Debeo si tibi cuncta, Deus; pro crimine tandē
Vnde satisfaciam quid superesse queat?
Ante homines falso quæ splēdet lumine Virtꝰ,
Culpa mera est oculos cum stetit ante tuos:
Sic tenuem spargens tenebris intersita flammam,
Caligat medio cœca lucerna die:
Sic curvum artificis demonstrat linea lignū,
Stare quod erecto stipite credideras.
Iudicis ante oculos nō sunt quæ fortè vidētur:
Ah nimium proprio fallimur arbitrio!
Si quæcunq́ꝫ patent animum facta impia terrent;
Plura tamen notis & graviora latent.
Quis queat in numeros arcana referre malorum?
Dele eja hæc soli quæ tibi nota, Deus!

Quo

Quo tandem adſpiciam? Cœlumne? ubi præ-
ſidet ille
Offendi factis quem miſer ipſe meis.
An terram? in terrâ poſſit ſpes eſſe? quid illinc
Auxilii profugus ſperet in exilio?
Nulla creatura eſt miſero quæ condolet: Om-
nis
Irata offenſo Numine jure fremit.
Stat litem intentans crudelis & improbus
Actor,
Ius rabido clamans jus petit ore, Sathan.
Addic fallacem ſervum, juſtiſſime Judex,
Addic ſervitio, quod colit ipſe meo. (mni,
Conditus ille tibi eſt, mihi crimine ſubditq; o-
Noluit eſſe tuus, non erit ergo meus?
Tam largè ornatus, poſt munera tanta, redē-
Immenſo pretio ſanguinis ille Dei, (ptus,
Vſq; adeo ſemper ſpernat tua juſſa rebellis,
nec mecum æternis ardeat uſq; focis?
Agnoſcis ne tuum? quanā hic veſtigia cernis?
Quē mihi conſimilem fronte retroq; vides.
Dic, ubi juſtitia eſt, ſi talem abſolvere pergis?
Regnabitne etiam? Dic, ubi juſtitia eſt?
Sic boat, acclamāt montes, cœlumq; remugit.
Et miſerum damnat machina tota reum.

Redde miser lucem, Polus intonat omnis, abusam; (nat.
Redde animam afflatam, mobilis aura so-
Sic undæ pisces, tellus alimenta reposcunt,
Et quæ alia innumeris mî perîre modis.
Ingratusne Deo, quicquid dedit ille, fruare?
Nec tandem, ut fas est, cedat in exitium?
Da mihi tu, flammis, Iudex ô juste, cremabo:
Da, claudam obstricto gutture vocis iter:
Da mihi, submergam: da, protinus ima de- (tunt.
hiscam:
Hoc Æthra, hoc aër, hoc aqua, Terra, pe-
Ipse ingens toto diducitur Orcus hiatu
Vi bolum hunc avido gutture lurco voret.
Vos etiam ætherii juvenes fidissima quondam
Tutela, heu hostes nunc videam esse meos?
Et meritò: toties læsi, nunc juro peractus
Indignus vestro judicior auxilio.
Ipse Deus, Deus ipse, horrendum heu de-
tonat, & me
damnat de tabulis ob malefacta meis.
Debita solve, inquit, vel justas excipe pœnas!
Me miserum! alterutri quî potes sufficiam?
An locus effugio est? en Mundũ Numine cõ-
Inficierne? oculis pervidet omne suis. (plet

Quid-



Defecit in dolore vita mea et anni mei in gemitibus. Psal. 30. v. 12.

15.

18



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Quid faciam mediis deprensus Syrtibus? aut cui (nus?
Tendam oculos, tendam spe pereunte ma-
Audi! audi! ô miseris spes unica, dulcis Iesu,
Tu mihi, tu Cymbæ portus & aura mea!
Immensum scelus est: sed enim tua gratia major:
Nec superant meritũ debita nostra tuum:
En retego vulnus Medico: miserere jacentis,
Emplastroq; tui vulneris omne tege.
Agnosco, ignoscas. Per te patet atheris aula
Fascis, nec miseras respuis auro preces.
Me video, nihil est quo sperem vivere: sed Te
Cũ video, superest non metuam unde mori.
Perdere me justè possis, non abnuo: sed quid?
Tanto emptum pretio perdere tune voles?
Vt capreis rupes, ut petra exscissa columbis,
Sic mihi confugium est quod tibi vulnus hiat.
Vulnus id immensum lateris, peccantis asylũ
Est anima, hèic certò tuta latere potest.
Clamant in cœlum mea crimina, sed tua contra
Sanguinis occlamant flumina, clamat Amor.

Illa instant; Iudex ulciscere! sed tua toto
Corpore, Da Veniam, vulnera cuncta rogant.
Vt mea sufficiunt damnando facta nefanda,
Sic tua salvando passio sola sat est.
Iustitiæ ne me statuas, precor, ante tribunal:
Supplex prosterno me Veniæ ante Thronũ:
Hîc ausim tecum contendere, si tuæ præstet
*Gratia morsq; reo mite patrocinium.**

XV.

Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. *Ps. 30, 12.*

Hoc erat ergo meis dominans Natalibus astrum,
Vt mihi lux faustâ nulla rediret ave!
Quàm levis optati me tẽporis aura fefellit;
Dum toties repeto; Crastinus albus erit.
Nec tamen albus adhuc mihi crastinus ille reluxit;
Quin, qui præteriit proximus, ater erat.
Credideram alternos vitæ succedere casus.
Inq; vices latis cedere mœsta locum.
Vtq; serenato detergis nubila cœlo,
Cùm revehis clarum Cynthie pure diem;

Vtq;

Viquè maris reparas fugitivos, Cynthia, fluctus,
Cùm tingis refluo littora sicca salo;
Sic ego venturi non felix temporis augur,
Omnia pro votis rebar itura meis.
At mea, quàm dispar, quantoquè severior illis,
Quas dat nupta viro, tristitia est lacrymis!
Conjuge defuncto, bis denis mensibus, uxor
Sola domi queritur, conjugis orba, necem.
Post decimum finitur lugubria ponere mensem,
Et peplum niveâ vertere triste togâ.
Quis mihi transactus semel est sine luctibus annus?
Quis vacuus mensis? quis sine nube dies?
Nulla meis lex dat finémve, modúmve querelis;
Sed parit assiduus se, velut Hydra, dolor.
Et planctu & lacrymis, gemituquè absumitur omnis,
Ipsaquè pars minima est vita caduca, sui.
Sapè quidem rabidis sunt æquora turbida ventis,
Sed brevis est, quoties magna procella furit:

Quasq; rapit sylvis bruma inclementia frondes,
Compensant viriditempora verna comâ:
Et Notus obscuris quoties tegit æthera nimbis,
Lætior innubi mox redit ore dies:
Astmihi perpetuos contexunt funera luctus,
Dempta nec est lachrymis syntheſis atra die.
Mœstaq; nec festo cessat vitis tibia cornu;
Pectus, ebur, pugni, plectra; querela, fides:
Hâc cytharâ, soles; hoc transigo pectine, noctes,
His fidibus, vitæ tempora fallo meæ.
O quoties victo susspiria pectore rupi,
Cùm cuperem tacito mergere verba sinu!
O quoties, lux quanta fuit, fuit acta querelis.
Lunaq; quanta fuit, planctibus acta fuit!
Ne gemerē, memini, toties monuistis amici,
Multaq; ne gemerem credite, facta mihi.
Libera lætitiæ suasistis frenare remitti,
Illicò lætitiæ libera frena dedi.
Astubi singultum compescere risibus opto,
Risibus, heu, gemitus obstrepuêre meis!
Sæpè, volens placidas somno traducere noctes,
Perpetuò vigiles obruor imbre genas;

Dumq;

Dumq; diu nimium violentos comprimo fletus,
Heu, mare perruptis effluit aggeribus!
Flumina, vos teſtes; vos nota cubilia, ſyluæ;
Voſq; cavæ valles; conſcia voſq; juga;
Vos teſtes, quoties ſuſpiria vincere tentans,
Victa, reluctanti murmura corde dedi.
Quin etiam auditis permota ululatibus Echo;
Queſtibus audita eſt aggemuiſſe meis.
Tunc ego, tunc illa, alternis dedimus lamenta,
Flevimus inq; vices, planximus inq; vices.
Ut Pandioniæ ſibi dant reſponſa ſorores,
Cùm cæſum, thalami labe queruntur Ityn;
Et ſedet hinc Progne ramo miſerabile plorans,
Et ſedet indè ſuum flens Philomela nefas:
Alteraq; alterius ſequitur ſuſpiria quæſtu,
Admiſſum lacrymans, utraq; crimen avis.
Talis & Alcyone cùm naufraga vela mariti
Noquicquam ſcopulis littoribuſq; canit;
Aut viduus, viridi nemoris ſedet arbore turtur,
Comparis æterno murmure fata gemens.

Sic mihi fatidicæ nerunt quoque stamina Divæ,
Iret ut optato sidere nulla dies.
Viquè adimant nullos, lamenta perennia luctus,
Aut cesset, caussâ deficiente, dolor.
Sed fuit ut primæ, gemitus, vox prima loquelæ;
Sic gemitus vitæ vox quoque summa meæ.

Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. *Ps.*30,12.

QVamdiu est hîc in præsenti vitâ, habet gemitum & fletum unusquisque homo. *x.*

Homo non à risu orditur hanc lucem, quid malorum ingressus sit nesciens, prophetat quodammodo: solùm, quando natus est, ferunt risisse Zoroastrem, nec ei boni aliquid monstrosus ille risus portendit. Prorsus quod scriptum est *grave jugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium. y.*

Unde

x. Hieron. in Psalm. 30. *y.* Aug. lib. 21. de civit. cap. 14.

Unde interrogemus pueros qui nascũtur, quare à ploratu incipiant: nascitur & statim plorat, & post nescio quot dies ridet. Quando plorabat nascens, Propheta suæ calamitatis erat, lacrymæ enim testes sunt miseriæ. ℣.

Hoc homini tantùm firmum est ex persquè senectæ,
Inde ex quo nascens fletibus ora rigat;
Per lacrymas testans, quas vitæ in limine fundit (mali.
Quotnam illum maneant amina dura
Est Regio (ut quondam Cretæa) ignara ferarum;
Est alia, hybernæ nescia terra nivis:
At, vacua adversis quod vitæ tempora rebus
Clauserit, haud quisquam dicere jure potest. a.

In hujus vitæ miseriam intrasti lugens, dies tuos in dolore & ærumnâ pertransisti; cum luctu & labore hinc exiturus es. Intelligas ergo, in quantum sit ingressus tuus.

℣. Aug. serm. 28. de verb. Apost. a. Nazianz. carm. de humana natura.

tuus flebilis progressus tuus debilis, & egressus horribilis. *b.*

Risum reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid frustrà deciperis? c.

Domini vox est ad suos dicentis, *Vos plorabitis & plangetis, sæculum autem gaudebit: Vos tristes eritis.* Timenda sunt Christianis præsentis sæculi gaudia, & optanda pro devotione mœstitia. *d.*

Lætitiæ enim tantum nomen habent, cùm omnia sint in tristitiâ. *e.*

Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati. f.

An non est meritò ingemiscendum, quòd sumus in regione alienâ, & in Coloniam procul à patriâ positam amandati? *g.*

In abscondito plorabit anima mea: plorans plorabit & deducet oculus meus lacrymam. h.

Asseverant Turturem castam & amatricem comparis esse, ita ut si quando evenerit, ejus masculum ab Aquilâ sive Aucupe capi.

b. Aug. Tom. 9. Author. spec. pec. *c.* Eccl. 2. *d.* Chrysost. serm. de martyrib. imitandis. *e.* Chrysost. hom. 54. *f.* 2. Cor. 5. *g.* Chrysost. hom. in Psalm. 115. *h.* Hierem. 13.

capi, non se commiscere alteri, sed ipsum cupere, & ipsius præstolari adventum, & in amoris ejus exspectatione pendere. Hujus turturis meminit Scriptura in Cant. Canticorum dicens: *Vox turturis audita est in terra nostra.* O gemitus de medio cordis amabilis bonitatis pullulans fontes! ô gemitus cœlestem sponsum Christum ad semetipsum adducens! *i.*

Vox turturis, amori canit & dilectioni; & habet singularem dilectionem turtur, cui canit, vel præsenti gaudium, vel absenti affectum. Igitur vox turturis tota de amore, & non novit aliud præter amorem turtur. Et quid sonat vox turturis? quam significationem habet vox turturis? quid dicit? Unũ est quod sonat vox turturis, & semper illud sonat & resonat, & non fastidit umquam. Numquam turtur vocem suam variat, nũquam canticum suum mutat, semper idem canit qui semper idem diligit. O vox turturis quàm dulcis es! & quis dignus erit audire vocem turturis? in solitudine canit turtur, & semper turtur solitudinem diligit;

i. Chrysost. tom. 5. hom. de virtute.

git, quia singularem dilectionem quærit. Non audietur in plateis vox ejus, neque foris clamorem suum proferet. Intus resonat, intrinsecus canit & non possunt audire turturem, nisi qui intus sunt; qui elongant in solitudine, qui secretum inhabitant. *k.*

Donec [autem] homines pro Dei cultu, mercedem tantùm in terrâ, & tantùm terram acceperunt, minimè se cognoverũt peregrinos; nec more turturis ingemuerunt. ita tamdiu non est vox turturis audita in terrâ nostrâ. Ubi ergo Regni Cœlorum promissio facta est, tunc primùm manifestè sonuit in terra vox turturis. Nam dum sancta quæque jam Anima Christi præsentiam suspiraret, Regni dilationem molestè ferret, desideratam patriam gemitibus & suspiriis à longè salutaret, nónne tibi videtur, vice fungi gemebundæ ac castissimæ turturis, quæcumque anima in terris ita fecisset? Ex tunc ergo & deinceps vox turturis audita est in terrâ nostrâ. Quid ni moveat

k. Hugo de S. Victor serm. de assumpt. Mar. to. 2.

veat mihi crebras lacrymas *& gemitus quotidianos* Christi absentia? *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Laboravi in gemitu meo*, tu scis, sed beatus qui dicere potuit; *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Non solùm autem mihi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus, gemitus isti comperti sunt. Hoc quippe est quod ipse ajebat. *numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc lugebunt*, ac si diceret; & tunc vox turturis audietur. Ita est. Jesu bone, venerunt dies illi; *nam & ipsa creatura ingemiscit & parturit usque adhuc, revelationem filiorum Dei exspectãs*: non solùm autem illa, *sed & nos ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes Redemptionem corporis nostri.* Neq; *vacui gemitus*, quibus è cœlo tam misericorditer respondetur. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Fuit & in tempore Patrum, *vox ista gementium*: sed rara, & penes quem-

quemque *suus gemitus.* Unde & dicebat quis: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi?* At ubi palam clamatum est; *Quæ sursum sunt quærite, ubi* Christus *est in dexterâ Dei sedens* ad omnes jam cœpit pertinere *gemitus ille turtureus*, & una omnibus esse *gemendi ratio. l.*

* *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon.* Cant. 7, 4. Hesebon cingulum mœroris interpretamur. Oculi ergo Sponsæ sicut piscinæ in Hesebon dicuntur, quia dum de peregrinatione sua contristantur, & mœrore corroborati contra spirituales hostes accinguntur, lachrymis se lavant, *m*

Sensus mysticus est, ac si diceret: oculi tui præ amore vel desiderio dilecti, quo langues & compungeris, fluunt lachrymis: & istæ lachrymæ piscinæ sunt in Hesebon: id est aquæ manentes cingulo mœroris. Ista cõpunctio terra est irrigua aquis, principium quoddam æternæ dulcedinis & hæreditatis; sicut illa Hesebon & terra trans Jordanem prima fuit possessio terræ promissionis &c. *n.* *

l. Bern. *s.* 59. in Cãt. *m.* Greg. Magn. in Cant. *n.* Rup. *ib.*

Finis liber primus.



Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas. Psal. 118. v. 20.

16.

BIBLIOTEKA OSOLINEUM

VOTA
Animæ Sanctæ.

I.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas. *Ps.* 118, 20.

Cœlestem dubitans, terrenumq; inter
Amorem,
Nescio quo statuam sub duce signa sequi.
Ille sub imperium, vocat hic ad pilea: pugnāt
Dissimili nimium conditione duces:
Hinc vocor, hinc revocor, rursusq; invitor
utrimq;
Non secus ac restuo quassa carina salo.
Ambiguum faciunt Amor hic, Amor ille
duellum,
Impediuntq; suo sistere vota loco.
Sit satis, ah! tandem mala tot fastigia passæ,
Et finar ad portus spem revocare suos!
O Deus! aut nullo caleat mihi pectus ab igne,
Aut solo caleat legis amore tuæ!
Non nego; quod lubeat, magna est, optare, vo-
luptas;
Et modò posse Volo dicere; Nolo, modò!

Frena

Frena nihil patitur minùs atque libido vovendi,
Nec se lege sinunt libera vota premi,
Vt vagus exultim loris q3, lupis q3 solutus
Quoslibet in pastus currere gestit equus:
Aut stabulo ruit & viridi mox sternitur herbâ,
Deposito nimium bucula læta jugo:
Ast ubi mox revocat consueta ad aratra colonus,
Excutit ille lupos, illa recusat onus.
Scilicet expetitur libertas una vovendi,
Quæ satis est, quam vis utilitate vacet.
Sic Phaëton, patriæ rituras ab axe quadrigæ,
Appetis ignotos flectere rector equos.
Sic quoq3 non solitis dum niteris altiùs alis
Icare, subjectis labere mersus aquis.
Quàm varia Superum lassas prece tundimus aures!
Cœlitibus puto nos sæpè movere jocum.
Ille vovet nuptam, nuptæ vovet ille sepulcrũ;
Hic sobolem nasci postulat, ille mori:
Ille Patri mortem, Patri rogat, ille salutem;
Hic fieri juvenis supplicat, ille senex.

Vix

Vix, puto, consentit centum de millibus unus;
Quin aliquis voto dissidet ipse suo.
Deniq; quid Superos oret, pars maxima nescit.
Tam nova quisq; sibi vota, precesq; facit.
Sic ubi jam gravidas stimulant fastidia Matres;
Obscenam satiant ferc la pudenda famem:
Scilicet expetitur modò calx, modò creta palato;
Et modò, quæ stomacho displicuêre, placent.
Quid desideriis ultra tot inanibus uror?
Quid jaculor nullo votaq; spesq; scopo?
Este procul gemitus, procul anxia turba, timores;
Sollicitaq; preces, votaq; spesq; procul.
O Deus, aut nullo caleat mihi pectus ab igne,
Aut solo caleat legis amore tuæ.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas. *Ps. 118. 20.*

* *Haud cuivis promptum est murmur q, humileq; susurros*
Tollere de Templis & aperto vivere voto.

Mens,

Mens, Bona, fama, fides, hæc clarè & ut audiat hospes; (rat: ô si
Illa sibi in rorsum & sub linguâ immurmu-
Ebullet patrui præclarum funus! & ô si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule! &c: o

Qui tempore orationis in ea quæ animæ conducunt intentus non est, sed vitiosis & perturbatis animi sui motibus Deum obsequi postulet, nugator quidam & blaterator est, quippe qui oret, ut Deus suarum vanitatum atq; ineptiarum adjutor & minister fiat. Exempli gratia: Accedit aliquis ad Deum per orationem & non perpensâ apud animum sublimitate potentiæ, ad quem accedit, turpibus & sordidis petitionibus majestatem divinam dedecorat imprudens. Ut si quis præ nimiâ paupertate aut rusticitate vasa ex luto fictilia pretiosa putet, deinde ad Regem solidas divitias & dignitates distribuere paratum accedat, atquè omissis iis rebus, quæ à Rege peti solent, tanta dignitate præditum roget, ut ex luto subacto & concinnato efficiat aliquid, quod

o. Persius Satyrâ 2.

quod sibi cordi sit: Ita etiam is qui imperitè utitur oratione, non ad dantis altitudinem in erigit, sed ad sordidas, humiles, & terram sapientes cupiditates suas divinam potentiam descendere desiderat. &c. *p.*

Rectè itaquè qui incola est in terra, [qui supernæ Hierusalem civis adscriptus est, peregrinum se profitetur in terrâ, quia certus est de hæreditate promissâ] & qui terrena non diligit, postulat sibi mandatorum. Dei scientiam revelari; ne vel in Dei vel in proximi dilectione fallatur. *Concupivi*, inquit, *justificationum tuarum desiderium habere usquè in finem.* Tu enim me justificas, tua me facit gratia, justum & bonum: mihi est semper hoc desiderare, & in hoc tuo præsidio delectari. Alioquin justus non ero, si aut defuerit mihi gratia tua, aut inflaverit me superbia. *q.*

Mirum est, quomodo concupiscatur desiderium; nec sit in nobis, cujus concupiscentia jam sit in nobis. Quis nesciat in homine esse concupiscentiam, in homine de-

I side-

p. Greg. Nissenus de Oratione. *q.* *Prosper in Psalm.* 118.

siderium? cur ergo concupiscitur, ut habeatur, quasi forinsecus inferatur? aut quomodo haberi ejus concupiscentia, sine ipso potest, cùm non sit & ipsum quid aliud, quàm concupiscentia? Nam & desiderare, procul dubiò concupiscere est. Quis enim iste mirabilis atq; inexplicabilis languor? & tamen est; nam & ægrotus qui fastidio laborat concupiscit utique desiderare cibum, dum concupiscit non habere fastidium. An aliud est concupiscere, aliud desiderare? non quod non sit concupiscentia desiderium, sed quia non omnis concupiscentia desiderium est; concupiscuntur enim & quæ habentur, & quæ non habentur: nam concupiscendo fruitur homo rebus quas habet; desiderando autem, absentia concupiscit. Desiderium ergo, quid est, nisi rerum absentium concupiscentia? sed Dei justificationes absentes esse quomodo possunt? An & quando sciuntur, & non fiunt, absentes habendæ sunt? sæpè enim quid agendum sit, videmus; nec agimus, quia non delectat ut agamus, & concupimus ut delectet. Prævolat intellectus; & tardè

tardè sequitur, & aliquando non sequitur, humanus atque infirmus affectus. Ideò ergo desiderare concupiscebat, quæ bona esse cernebat, cupiens eorum habere delectationem, quorum potuit videre rationem. *r.*

Non dixit [autem] concupivi judicia; sed, concupivi desiderare: sicut enim vitâ vivere, plus est, quàm vivere (vivere namq; commune etiam hujus est vitæ; vita autem vivere. Beatorum est) sic concupiscere ut desideremus judicia Dei, plus est, quàm desiderare judicia; concupiscimus enim desiderare, quasi non sit potestatis nostræ desiderium, sed gratiæ Dei. Cùm enim Dominus oblectari nos viderit cupiditate desiderii judiciorum suorum, sobrium auget affectum; cùm autem peccamus non concupiscimus desiderare judicia Dei. Unde etiam Dominus non otiosè ait; *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*; non solùm desiderans, sed etiam geminato desiderio concupiscens remissionem tribuere peccatorum. Concupiscamus ergo & nos desiderare judicia Dei. *s.*

r. Aug. in Psal. 118. *s.* ibidem.

Nam ſicut dicitur aliquis carnalis Amor, quem & Cupidinem appellaverunt Poëtæ, ſecundùm quem qui amat, in carne ſeminat: ita eſt & quidem ſpiritualis Amor, ſecundùm quem & ille interior homo amans in ſpiritu ſeminat. *t.*

[Jam] diſcerne petitionem cordis tui, à petitionibus carnis; diſcerne quantum potes. Verbi gratia: cœcus eſt, corpore; rogat ut illuminetur: Petitio hęc carnis. Infirmatur, rogat ſe ſalvum fieri; ſalvus fit moriturus; & iſta petitio carnis eſt, & ſi quæ ſunt talia. Petitio cordis quæ eſt? ſicut petitio carnis eſt, velle ſibi præparari oculos, utiq; ad videndam iſtam lucem (quæ talibus oculis videri poteſt) ita petitio cordis, ad illam lucem pertinet; *Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* *u.*

Sed homo, quaſi pullum onagri ſe liberum natum putat; nam qui implere cuncta quæ deſiderat per effrenatam libertatem quęrit, quid aliud, quàm pullo onagri eſſe ſimilis concupiſcit; ut diſciplinæ hunc lora non

t. Origenes prolog. in Cant. *u.* Auguſtin. in Pſalm. 36.

non teneant, sed audenter inter vagos per sylvam desideriorum currat? *x.*

Mens quoque nostra rebus mutabilibus subdita; & à semetipsâ variatur. Nam quærens quod non habet, anxia percipit, cùmque habere cœperit, tædet hanc percepisse, quod quæsivit. Amat sæpè quod despexerat, despicit quod amaverat. Diu quærit, ut parùm in his quæ invenerit, perseverat. *y.*

Nos enim, nati in hujus peregrinationis ærumna, huc fastidiosi jam venimus; nescimus quid desiderare debeamus. *z.*

Ac planè quid oremus, sicut oportet, nescimus. Alius vult conjugari; alius conjugio viduatus deinceps continenter eligit vivere; alius nullum concubitum nec in ipsis nuptiis experiri: *a.*

Et ego inhiabam honoribus, lucris, conjugio, & tu irridebas. *b.*

Certè, qui dicit in oratione, verbi gratia: Domine multiplica divitias meas; aut, da mihi tantas, quantas illi vel illi dedisti;

x. Greg. cap. 15. in c. 12. Iob. *y.* Greg. cap. 22. in c. 7. Iob. *z.* D. Greg. hom. 36. in Evang. *a.* Augustin. de orando Deo. Epist. 21. ad Probam. cap. 5. *b.* Aug. Confess. 6. cap. 6.

aut honores meos auge, aut fac me in hoc sæculo præpotentem atq; clarentem, vel si quid hujusmodi est; & hæc dicit, eorum habens concupiscentiam, non id attendens, ut ex his, secundùm Deum prosit hominibus, puto eum non invenire in oratione Dominicâ, quo possit hæc vota coaptare: Quamobrem pudeat saltem petere, quæ non pudet cupere; aut si & hoc pudet, sed cupiditas vincit; quanto meliùs hoc petitur, ut etiam ab isto cupiditatis malo liberet, cui dicimus; *libera nos à malo. c.*

Vides [ergo] aviditate omne malum exortum, cùm ipsum desiderium videlicet, non sustineat intra proprios terminos cõsistere?

Quidquid enim terminos à Deo statos transgreditur, id absurdarum ac minimè legitimarũ rerum appetens est. Quemadmodum enim fieri sæpè videmus; ut qui ciborum appetitionem; quique impotenti siti correpti fuerint, ii & cœnum quoq; nonnumquam ad bibendum appetant. *d.*

Sic

c. Aug. de orando Deo. c. 12. epist. 121. ad Probã.
d. Chrysost. in Epist. ad Rom. c. 1. hom. 4.

Sic cor meum, cor vanum, vagum & instabile dum suo ducitur arbitrio, & divino caret consilio, in seipso non potest consistere, sed omni mobili mobilius, per infinita distrahitur, & hac atque illac, per innumera discurrit; & dum per diversa requiem quærit, non invenit, sed in labore miserum, à requie vacuum manet: sibi non concordat, à se dissonat, à se resilit, voluntates alternat, cõsilia mutat, ædificat nova, destruit vetera, destructa re ædificat, eadem iterum atque iterum alio & alio modo mutat & ordinat; quia vult & non vult, & nunquã in eodem statu permanet. *e.*

Sed allide Domine concupiscentiam meam dulcedine tuâ, quam abscondisti timentibus te, ut concupiscam te concupiscentiis sempiternis; ne vanis illectus & deceptus interior gustus ponat amarum dulce & dulce amarum. *f.*

e. Bernhardus cap. 9. medit. *f.* Aug. soliloq. cap. 12.

Uti

II.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas, justificationes tuas. *Psal. 118, 5.*

QVo ferar, in tanto deprensa errore viarum.
Cœcum ubi tam vario tramite fallit iter?
Hæc abit in dextram, tenet altera semita lævam,
Hæc tumet in clivos, vallibus ista jacet:
Hæc faciles aditus, aditq; habet illa malignos,
Et quos illa tegit, detegit illa dolos:
Quoq; vel hæc tendat, vel quò se porrigat illa,
Exitus implexo fine videre vetat:
Non ita, quæ partes via se findebat in ambas,
Herculis ambiguum fecit euntis iter,
Nec totidē refluis Mæander flectitur undis,
Ipse suis quamvis obvius erret aquis.
Nec labyrinthæ tanta est fallacia tecti,
Curva licet variis flexibus antra tegat.
Heu graviora meos cohibent discrimina gressus! (munt:
En gemmâ dubiam parte pericla premunt:
Non ego quæ metuam divortia mille viarū;
(*Solus Dædaleâ, qui fuit æde labor*)

Sed



Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas! Psal 118 v 5.

17

20

BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Sed præter varios curvis ambagibus orbes,
Nox etiam cœcas celat opaca vias;
Nullaq́ se presso monstrant vestigia signo,
Quâ populus trito calle, notârit iter.
Et licet explorem prætensis obvia palmis,
Et vitem obstantes, tubera dura, petras;
Vix satis inceptos ausim producere cursus,
Sed retinent timidum nox q́, dolusq́ gradum.
Lassus ut ignotâ cùm fors regione viator
Opprimitur nebulâ præcipitante diem:
Nullaq́ jam toto collucent sidera Cœlo.
Nec propè sunt ullæ, rusticа tecta, casæ;
Nullaq́ signato callem notat orbita sulco,
Ulla nec humano semita trita pede;
Nec scit, an in sylvas, an eat ruiturus in undas,
Longiùs inceptam si paret ire viam,
Tum validis mutos compellat vocibus agros
Si quis aberranti præstet arator opem.
Vtq́ vel è stabulis, tacitisq́ quis audiat antris,
Ingeminat longos, terq́ quaterquè sonos.
Omnis at in surdas clãor volat irritus auras,
Nullaquè Pastoris verba remissa sonant.

O quis in his tẽdat mihi ſtamina fida periclis!
Quis Deus, in tantâ, ſit mihi nocte Pharos?
Iſacidas quondam per inhoſpita regna vagantes,
Inſolitas docuit clara columna vias:
Stella comes monuit Nabathæos lumine reges,
Parvaquè Bethlemiæ duxit in antra domus.
Quin recreant trepidos, fratrum duo ſidera, nautas;
Tu quoquè mi gemini Caſtoris ede facem.
Gnoſis aberrantem revocavit Theſea filo,
Seſtaquè Leandro fixit amica facem.
Ecce ego ſum Theſeus, vice tu mihi ſis Ariadnes,
Cumquè ero Leander ſis vice Seſtiados.
Aſpicis ut multi, vaga turba, per avia currant,
Et ſuus huc, illuc, quemlibet error agat?
Hic cadit ignotâ præceps Regione viarum,
Ille vago cæcum tramite verſat iter:
Hic celerat curſus; hic paſſu deſide lentat;
Sæpiùs ille ſuos fertque, refertquè, gradus:
Hic diverſus abit; lateri comes ille propinquat;
Hic comitis ductu fallitur, ille ſuo: (Hic;
Per-

Perpetuos aliquis vestigia flectit in orbes,
Alter in obliquas voluitur usque vias:
Hic ratus ad certam cursu se tendere metam,
Decepto repetit limina prima pede:
Denique in errorem factoruit agmine vulgus,
Quod q3 tenere decet, vix tenet ullus iter.
O utinam, recto tendat mea semita ductu,
Nec fraus decipiat tramitis ulla gradu?
Qualis at excussos fugit irrevocabilis arcus,
Dum volat ad certum missa sagitta locum;
Talis in offenso festinet limite cursus,
Quâ tua nempe movent tendere jussa, viâ.
Esto igitur mea lux, quoties jaculabere, nervus;
Quem q3 petis jaculis lex tua sancta, scopo;
Quâq3 scopum cupies certus tetigisse sagittâ,
Illa ego sim digitis lecta sagitta tuis.

VTinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas *Psal.* 118, 5.

HIeremias dicit: *Scio Domine, quia non est in homine via ejus; nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos.* Hinc & in

Psalmis cùm quidam dixisset Deo: *tu mandasti mãdata tua custodiri nimis*, continuò, non de se præsumpsit, sed optavit ut faceret. *Vtinam*, inquit, *dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. g.*

* *Dedisti*, inquit, *mandatum & custodiri illud præcepisti*: sed utinam præbens & auxilium ut possim facere te juvante, quod faciendum didici te docente. *h.* *.

Miles qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluntaria captat compendia, ne recedat à signis; sed itinerarium ab Imperatore accipit & custodit illud; præscripto incedit ordine, rectâque viâ conficit iter, ut inveniat commeatum, parata sibi subsidia. Hanc legem viandi esse præscriptam, Christo ducente, sanctis cõmeantibus, recognoscas velim. Profecti sunt enim & Patres nostri de terrâ Ægypti, per longa spatia terrarum, quorum stativæ omnes, mansioneſque descripta sunt. Advertimus ergo quis has ordinaverit mansiones,

g. Aug. l. 2. de oper. merit. *h.* Prosper in Psalmum 118.

siones, quomodo ambulare oporteret filios Israel. Præibat enim illos, per diem; Deus in columnâ nubis; noctu autem in columnâ ignis, ut viam ostenderet ambulantibus & tenebras dimoveret, lex viarum, columna erat & ignis & nubes. *i.*

Multæ enim sunt viæ & multa genera viarum; magnum profectò periculum viatori. Quàm facilè in multarum occursu, errabit in viâ suâ, qui viarum discretione caruerit? Scrutemur proinde vias nostras, etiam vias dæmonum, vias quoque Beatorũ spirituum, & vias Domini investigemus. *k.*

* Angusta enim viâ gradimur & quasi in fune suspenso ancipites ambulamus: & nisi certo libramine vestigia fixerimus, ut non declinemus dextrâ vel sinistrâ facilè nos in hujus aut illius partis ruinam inimicus impellet. Ideò nobis in Salomone sapiantia canit: *Non deflectatis à Domino, ne cadatis.* *l.*

Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine.

l. 7.

i. Ambr. in Psalm. 118. Octon. 5. *k.* Bern. ser. 11. super *Qui habitat in adjutorio.* *l.* Paulinus epist 26. ad Sanct. & Amand, ex Ecclesiaste cap. 2, 7.

mine: Scit se niti verbo Dei illuminatũ has corporum tenebras & hanc seculi noctem ferre non posse. Scit utiq; adesse lapides offensionum, laqueos funium, scrobes fovearum. Ut enim quis nocte egressus lucernam antefert, & quo pedem inferat contuetur; &c: ita unusquisque nostrûm manens in se Dei verbum in omnes operum processus, tanquam lucernam prætendit. Omnis enim doctrina cœlestis Dux nobis aditer vitæ est, quæ lucernæ modo in hac seculi nocte præferenda est, cum aliquid aut agimus, aut cogitamus, aut loquimur, ut ea in omnem progressum cujuscumque operationis utamur. *m.*

Quemadmodum hi qui in Labyrintho aliquo divagantur frustrà exitum sperant absq; lumine; ita in infinitos prorsusque inexplicabiles impingere peccatorum Mæandros illos necesse est, qui vitam hanc ærumnosam sine verbi luce vivere posse somniant. *n.*

Quoties quis in tenebris ambulantibus vult

m. Hilarius in Psalmum 118. *n.* Folengius in Psalm. 119.

vult præbere solatium, viarum insinuare discrimina, accensa luminaria in sublime statuit, eademque exponit in publicum, quatenus in offenso pede valeant peragrare, quò tendunt: Hoc per semetipsam in humanitate assumptâ, hoc per Apostolos, Doctores, ac Prædicatores suos Coæterna Deo Patri perficit Sapientia, atquè quotidiè id agit in Spiritu, ac verbi Dei annunciatione, o. *

[Si enim] viam ingressus cùm veneris ad compitum aliquod: (& nescias quod iter ingredi debeas) stas & cogitas ipse tecum, utrùm primam, aut secundam, aut tertiam viam eligas quam sequaris, nec putas priùs adoriendum iter quàm animo definieris, & pleniore mentis intentione decideris. Quanto magis animo debes ac mente consistere quid ad regnum cæleste tendis, & cogitare tecum, quia non omnis via illò ducit, non omnis eò dirigit ad Hierusalem illam quæ in cælo est. Sunt viæ quæ malos exitus mortis habent. Hæ sunt viæ de quibus

o. Laurent. Iustinianus de Institut. ac Regim. Prælat.

bus legisti: *Quia sunt viæ quæ videntur viro rectæ esse, ultima autem ejus aspiciunt in profundum inferni.* p.

Viæ igitur filiorum Adam in necessitate & cupiditate versantur. Ab utraque siquidem ducimur, & ab utraque trahimur, nisi quod videmur magis urgeri necessitate, trahi cupiditate. Et necessitas quidem specialiter corpori tribuenda videtur, nec simplex illa est, *sed anfractus habens plurimos* plurimaquè dispendia; nam compendia pauca admodum, si qua tamen. In his quoq; docetur quàm necesse habeat clamare ad Dominum, non de necessitate, sed de *necessitatibus meis erue me.* Non modò ab hâc viâ necessitatis, sed ab eâ quoque quæ cupiditatis est, optabit educi, quisquis non surdâ aure monita Sapientis exceperit. Quid enim ille ait? *à voluntatibus tuis avertere,* & item: *post concupiscentias tuas non eas.* Hæ sunt viæ quæ videntur hominibus bonæ, sed finem non habent nisi cùm demergunt in profundum. q.

Si

p. Ambr. in Psalm. 118. octon. 8. q. Bern. ser. 12. super *Qui habitat.*

Si inveniſti vias hominum, illud quoque conſidera, ne fortè de his dictum ſit: *Contritio & infelicitas in viis eorum*: ut ſit contritio in neceſſitate, infelicitas in cupiditate, Videamus & vias Dæmonum, videamus & caveamus; videamus, & fugiamus eas; ſiquidem via illorum. Præſumptio & Obſtinatio. Quàm perverſo & everſo ſunt corde filii hominum! quicumque ſectantur vias Dęmonum, ingrediuntur Dęmonum vias. Hæc enim tota adverſum nos ſpiritualium colluctatio nequitiarum eſt, ut nos ſeducant, ut nos inducant in vias ſuas, ut deducant in eis, perducant ad deſtinatum finem, qui paratus eſt eis. Quæ verò ſunt ſanctorum Angelorum viæ? Profectò illæ, quas unigenitus enarravit dicens: *Videbitis Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis.* Aſcenſio igitur & deſcenſio viæ illorum. Aſcenſio propter ſe, deſcenſio vel potiùs condeſcenſio propter nos. Puto & vias Domini vultis audire. Docuit itaque vias ſuas, cùm aperuit labia Prophetæ ut diceret: *Vniverſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* Ita ad ſingulos, ita ad omnes communi-

muniter venit, in misericordiâ scilicet & veritate. *Ab his itineribus inourvati sunt colles mundi*; superbi, Dæmones, Principes. *r.*

Iste ordo est, alii præcedunt, alii sequuntur. Qui præcedunt exemplum se præbent sequentibus; numquid neminem sequuntur? Si neminem sequuntur, errabunt. Sequuntur ergo & illi aliquem, ipsum Christum. Et cernitis ordinatos gressus per Paulum Apostolum dicentem. *Imitatores estote sicut & ego* Christi. Justi attendendo eos qui se in bono præcedunt, imitando sequuntur. Quomodo sequuntur? *Videbunt justi & timebunt.* Videbunt & timebunt sequi vias malas, cùm vident quosque meliores, jam elegisse vias meliores, & dicunt in animo suo, quemadmodum solent dicere viatores, attendentes alios cum præsumptione ambulantes in viâ, ipsi adhuc incerti viæ, & quasi fluctuantes quò eant, dicunt sibi: Non frustrâ illi hâc eunt, quando illò eunt, quò nos ire volumus. Et quare cum magnâ fiduciâ hàc eunt, nisi quia illàc ire pernicioſum est. Videbunt ergo justi & timeme-

r. Ibid.

mebunt. Angustam viam vident illàc; hàc vident paucos, illàc multos; sed si justus es, noli numerare; noli numerare, turbas hominum incedentes latas vias; noli eos attẽdere, multi sunt, pauci autem per viam angustam. *s.*

Reproborum [siquidem] *semitæ* semper *involutæ* sunt, ut pravis concupiscentis deditiaut bona nulla appetant, aut appetentes infirmo desiderio ad hæc nequaquam mentis *liberos gressus* tendant. Rectâ enim aut non incipiunt, aut in ipso fracti itinere, adhæc minimè pertingunt, unde fit plerumque, ut ad morẽ suum, lassati redeant, sesecq; ab intentione animi in carnis voluptatibꝰ sternant; sola quæ transeunt, cogitent; nulla quæ secũ permaneant, curent. *t.*

Caput circuitus eorum? quid est circuitus ipsorum? ut circumeant & non stent, in gyrum eant erroris, ubi iter est sine fine: qui enim in longum it, aliunde incipit, alicubi finit; qui in gyrum it, nusquam finit. Ipse est labor impiorum, qui demonstratur in alio Psal-

s. Aug. in Psalm. *t.* Greg. cap. 17. lib. 7. mor. in c. 6. Iob.

Psalmo evidentiùs: *in circuitu impii ambulant.u.*

Benè ergo de reprobis dicitur: *Involutæ sunt semitæ gressuum eorum*, quia recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala replicantur, & quasi extra se tensi, ad semetipsos per circuitum redeunt, qui bona quidem cupiunt, sed à malis nequicquam recedunt. *x.*

Et quidam cadunt extra viam; ut ille qui numquam fuit de Ecclesia. Quidam cadunt à viâ; unde hoc: *Melius est viam justitiæ non agnoscere, quàm post agnitam retroire.* Quidam cadunt in viam, unde dicitur; *justus septies cadit in die.y.*

Sed est multa differentia inter casum Justi & injusti: *Justus*, Inquit, *cùm ceciderit, non prosternitur.* Injustus, & qui spem non habet in Deo positam, si ceciderit, prosternitur, & non surgit, id est, si peccaverit non pœnitet, & peccatum suum emendare nescit. *z.*

O tor-

u. August. in Psal. 139. *x.* Greg. lib. 7. mor. c. 24. in cap. 6 Iob. *y.* Bonav. in Psalm. 36. *z.* Orig. hom. 4. in Psalm. 36.

O tortuosas vias! væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram! Versa & reversa; in tergum & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies. Et ecce ades, & liberas à miserabilibus erroribus, & constituis nos in viâ tuâ, & consolaris & dicis; *Currite ego feram, & ego perducam, & ego ibi feram.* a.

Melius *dirigebantur, à Domino gressus eorum,* quibus per noctem, ignis columna lucebat; per diem, nubis. Et tu mereare factis; votisque deposce, *ut gressus tui à Domino dirigantur, ne moveantur pedes tui.* Cavendum est quoque ne rectam semitam de relinquas, & *diverticula te viarum tortuosarum* decipiant. Ideò dicit: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Rectas faciamus animorum semitas, ne labamur, ne effundantur gressus nostri sicut uxoris Loth, quæ post se respexit, & gressus tenere non potuit, sed effusi sunt. Non effundantur sicut Ægyptiorum, quorum gressum maris fluctus effudit. Nónne de his

a. August. confess. 6. c. 16.

his pulcrè dixeris; *Effusi sunt gressus eorum*, quos benè vixisse pœnituit? *b.*

* *Beatus ille qui procul vitam suam*
ab impiorum segregârit coetibus:
& in viâ peccantium non manserit:
nec in cathedrâ pestilenti sederit:
sed corde toto fixus in legem Dei
Præcepta vitæ nocte volvit & die,
mentem q; castis institutis excolit.
Erit ille ut arbor quæ propinqua flumini
humori ripæ nutriente pascitur,
suoq; fructum plenare reddet tempore,
& fronde nunquam defluente pervirens
stabit perenni vividum lignum comâ: &c.
Id circò cuncti nunc in isto seculo
dum currit ætas, & dies ævi patet
rectas agamus semitas firmo pede,
nec deferamur lubrico latæ viæ.
præstat per arctum dimicantes tramitem
Laboriosis introire nisibus.
Vias bonorum lætus agnoscit Deus,
at impiorum pronum iter delebitur. c. *

O qui de reliquisti semitas rectas, abeundo in vias tenebrarum! ô qui lætamini in malis

b. Ambr. in Psalm. 36. *c.* Paulinus in carmin.

malis, & gaudetis in eversione malâ, quorum semitæ pravæ,& *flexuosi cursus eorum* sicut lubricus & flexuosus author ipsorum, cur odisse cœpistis viam rectam! Non vos direxit Dominus.*d.*

O Domine qui lux es, qui es via,veritas & vita, in quo non sunt tenebræ,error, vanitas,neque mors. Lux sine quâ tenebræ; via sine quâ error;veritas, sine quâ vanitas, vita sine quâ mors: Dic verbum, Domine; fiat lux, ut videam lucem & vitem tenebras:videam viam,& vitem invium:videam veritatem & vitem vanitatem: videam vitam,& vitem mortem. *Illuminare*,inquã, *illuminare* huic coeco, *qui in tenebris & in umbrâ mortis sedet, & dirige pedes ejus in viam pacis!e.*

[Fac] ut anima [mea] telum sit in manu potentis ad scopum supernum directum, [scio] esse eumdem & sponsum nostrum& sagittarium; [fac] eamdem item animam esse sponsam & telum, quâ ille tamquam telo utatur, dum eam bonum ad scopum dirigit.*f.* III.

d. August.in Psal.38. *e.* Aug. soliloq cap. 4.
f. Nyssen.orat.4.in Cant.

III.

Perfice gressus meos in semitis tuis! ut non moveantur vestigia mea. *Ps. 16, 6.*

Ergo caduca gradum toties mihi tibia fallet,
Sternet & in planâ pes vitiosus humo?
Aspice, qui Cœlis hominum vestigia spectas,
Firmaq; fac presso stet mea planta solo.
Instruit implumes pennata Ciconia pullos,
Et docet aërias præpes inire vias.
Exemplo volucrem sequitur modò filia Matrem,
Tutaq; jam peragit, quod metuebat, iter.
Provocat expansis sobolē Iovis armiger alis,
Et jubet insuetas sollicitare plagas.
Mox præit, & pleno se jactat in aëra lapsu,
Remigio soboles subsequiturq; patrem.
Dum primùm ignotas tentat puer insciùs undas,
Corporis indoctum subere fulcit onus:
Mox opis oblitus, flumen sine cortice tranat,
Flumen inexperto sæpè sed ore bibit:
Sapiùs at doctis ubi plauserit æquora palmis,
Ducit in immenso brachia tuta salo.

Assi-



Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea! Psal. 16. v. 6.



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Aspice, qui in Cœlis hominum vestigia spectas,
Aspice, quâ nobis arte levetur iter:
Sustineor fragili puerilia membra curuli,
Quæq; vehunt socias ipsa propello rotas.
Nempe tripes baculi sic stipite nititur ætas,
Quiq; senem vectat, à sene fertur equus.
Ne tamen ambiguis malè decipiare querelis;
De pedibus, tecum nulla querela meis:
Nec vitio plantæ, vitio neq; crura laborant;
Saxa per & salebras tibia nostra salit.
Non ego pennipedi dubitem certare Camillæ,
Isse per intactas quæ pede, fertur, aquas.
Quod queror, est animi vitium lacrymabile nostri,
Qui, quibus incedat, languidus est pedibus.
Heu jacet afflictis, affectibus omnis ager!
(Hi, quibus incessit, nempe fuêre pedes)
Si quod iter, quam vis breve sit, virtutis eundem est,
Mens mihi fit minimæ lassa labore viæ;
Crura forent fragilis velut ita, Nile, papyrus,
Quæq; ruit motâ canna palustris aquâ.

Rarus, at immodicus quandoq; resuscitat ardor,
Et pede fulmineo stringere cogit iter:
Sed bene vix cœptum, currendi extinguitur ardor,
Lampadis ut magno flãmula parva Noto.
Ne tamen ignavis videar segnescere plantis,
Promoveo tardos pigra subinde gradus.
Ast mea tunc, caveam quisquam vestigia servet,
Neputer immodicis ebria facta scyphis:
Scilicet in partes ita tibia claudicat ambas,
Semipedis claudi pes ut hiulcat iter:
Nunc volo, nunc nolo, nunc æstuo, nunc langueſco,
Nunc stupet ut rigido mens religata gelu.
Impatiens igitur, cœpti sine fruge laboris,
Sæpè via medio, lassa retento gradum.
Sed neq;, quâ languens statione resistere tẽto.
Instabilem valeo figere firma pedem.
Auferor adverso velut incita puppis ab æstu,
Quam neq; vis remi nec sua vela juvant;
Damnaq; sunt iterum vano redimenda recursu,
Irritus æterno sic redit orbe labor.

Nem-

Nempe catenati, sic publica corpora, servi
Circumeunt toties, pendula tecta molæ.
It molæ, perq; suos rapitur circumvaga gyros,
Sed perit his, quicquid conficit illa viæ
Heu quid agam! neq; sueta vehi neq; currere docta,
Nec pedibus minimas utilis ire vias!
Magnum iter est Cœlo, magnis huc passibus itur;
Quid faciet lentis nostra quadriga rotis?
Tu spatia ingenti per laberis arduasaltu,
Vastaq; tergemini crura gigantis habes.
Eoum passu, Hesperiumq; amplectere mundum,
Subfemur ut Rhodius vela Colossus agit:
Ast testudineo reptat mihi tibia gressu,
Aut chelis referor, Cancer adunce, tuis.
Quid positas igitur sperem contingere metas,
Quæ metas refugo perdita sector equo?
O Deus, ambiguos trepidantis perfice gressus,
Vincat & applausis nostra quadriga rotis!

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. *Ps. 16, 6.*

IN quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. g.

* Dirigamus igitur semitas nostras, nec tortuosi serpentis sequamur aufractus. Viæ enim Domini rectæ, perversæ autem viæ errantium. In ordinem seges læta porrigitur, in versum quendam vineta ponuntur, cervorum cursus directior, vulpeculæ flexuosus. *h.**

Sæpè etenim egregia dum spe subnixus, in altum
Efferor, ac mediæ virtutis septa volatu
Transilio, dirus resupinum mentis ad ima
Præcipitem fundit Satanas; mihiq; accidit illud,
Quod solet huic, qui littoreâ dum incedit arenâ,
Haud certa elusis pedibus vestigia firmat.
Erigor ipse iterum, rursusque in terga relabor,
Infelix magè, quã prius; incedensque labore
Perpetuo, trepidumque fovens in corde pavorem
Vix gradior, citus at labens figo oscula terræ. i

Vias

g. Psalm. 119, 9. *h.* Ambrosius in Psalm. 118, *i.* Nazianz. de vit. human.

Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. k.

Deduc me in viâ tuâ. l.

Fac mihi viam in quâ ambulem. m.

Nam quis inter tot passiones hujus corporis, inter tantas illecebras hujus sæculi, tutum atque intemeratum servare potest *Vestigium?* Respexit oculus, & sensum mētis avertit, audivit auris, & intentionem inflexit; inhalavit odor, & cogitationem impedivit; os libavit, & crimen retulit; tactus contigit, & ignem adolevit. *n.*

[Quare] qui iter agit ad virtutem, multæ sunt quæ digredi habet & transire. Ergo & tu, quia ad Christum tendis (qui est Dei virtus) digredere luxuriam, scorta, adulterium; digredere furta, falsa testimonia; tum deinde digredere & avaritiam, & omnem pecuniæ cæterarumque malarum rerum concupiscentiam; digredere mendacium, digredere stultitiam sæculi. *o.*

Bonum crus fac pedi tuo, non enim natu-

 turæ

k. Psal. 25, 4. *l.* Psal. 86. 11. *m.* Psal. 143, 8. *n.* Ambr. de fugâ sæculi, cap. 1. *o.* Origen. hom. 4. in Ps. 36.

turæ est, sed voluntatis: levem hanc reddamus, ne celeritati pedum reliquum pondus officiat. Doce pedes esse cautos; pavimentum enim multis locis est lubricum; ac si cadas, multa perdidisti: attamen & si ceciderís, surge; licet enim & hoc pacto vincere. Nunquam lubricis rebus te committas, & non cades: super solidas ac stabiles curre. *p.*

In eo namque ostendimus quantâ ad Dominum cupiditate flagramus, si non solùm ad eum per tranquilla & mollia, sed etiam per aspera & dura transimus. Hinc namque Propheta ait: *Qui perfecit pedes meos, quasi cervi.* Cervus enim cùm montium juga conscendit, quęquè aspicit aspera, quæquè se objiciunt sentibus illigata, dato saltu transgreditur, & absque ullo cursus sui obstaculo, in superioribus elevatur; ita etiam electorum mentes, quæquè sibi in hoc mundo obsistere atque obviare conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, & more cervorum, despectis terre-

no-

p. Chrys. in 3. c. ad Phil.

norum sentibus, in superna se evehunt. *q*,

Est ascensio, est transilitio, non pedibus, non scalis, non pennis; & tamen si interiorem hominem attendas, & pedibus, & scalis, & pennis. Nam si non pedibus: quomodo dicit homo interior. *Non veniat mihi pes superbiæ?* si non scalis; quid sunt quas vidit Jacob? si non pennis, quis est qui dicit; *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* sed in rebus corporalibus, aliud sunt pedes, aliud scalæ, aliud pennæ, Intus autem & pedes & scalæ, & pennæ affectus sunt & bonæ voluntates. *r*.

Stat [anima] manu verbi levata velut super duos pedes, devotionem & agnitionem. Stat inquam, sed sibi putet dictum, *qui se existimat stare, videat ne cadat.* Putásne stare per se poterit, quæ surgere per se non potuit? Cur ergo si stare per se poterat, orabat homo de terrâ, *Confirma me*, inquiens, *in verbis tuis Domine:* Denique & probârat. Ejus ipsius illa vox fuit: *Impulsus, eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me.* Quæris, quis ille impulsor? non est u-

q. Greg. l. 26. mor. c. 10. in c. 35. 106. *r*. Aug. in Ps. 38.

nus. Impulsor Diabolus est, impulsor Mundus, impulsor Homo. Quis iste homo sit, quæris? quisque sui. Noli mirari, usque adeò homo impulsor sibi est, & suimet præcipitator, ut non sit quod ab altero & impulsore formides, si ipse à te proprias contineas manus: manus tua, consensus tuus. Cùm igitur tres sint stanti imminentes stratores; horum, Diabolus livore malitiæ; Mundus, vento vanitatis; Homo, semetipsum pondere suæ corruptionis impellit. Impellit Diabolus, sed non evertit, si quidem tuum tu illi negaveris assensum. Est & mundus impulsor; quia in maligno positus est; impellit omnes, sed solos evertit amicos suos. Ex quo satis claret, quàm sit Homo præcipuus impulsor sui, qui suo, sine alieno impulsu, cadere potest; alieno, absq; suo, cadere non potest. Sed innixum verbo & indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit vel stantem dejicere, vel subjicere dominantem. Vis non timere impulsorem? *Non veniat tibi pes superbiæ*, & manus impellentis non moveat te. *ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.*

tatem, ibi Diabolus & Angeli corruerunt. Denique *in veritate non stetit* qui non innixus est verbo: & ideò fortassis sedere voluit, qui stare non valuit; dicebat enim: *sedebo in monte testamenti*. Cæterùm Deo aliter judicante nec stetit, nec sedit, sed cecidit, dicente Domino, *Videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem*: ergo qui stat, si non vult cadere, non fidat sibi, sed nitatur verbo. Cujus manu erigeris, ipsius necesse est virtute tenearis. *s.*

Via nostra, ambulantes quærit; sed tria sunt hominum genera quæ odit: Remanentem, Retro-redeuntem, Abeuntem: ab his tribus generibus malis, Domino adjuvante vindicetur, & defendatur gressus noster. Jam verò cùm ambulantes sumus, alius tardiùs ambulat, alius celeriùs, ambo tamen ambulant; excitandi sunt ergo Remanentes; Retro-redeuntes revocandi; Errantes in viam ducendi; Tardi exhortandi: Celeres imitandi. Qui non proficit, remansit in viâ; qui fortè à meliore proposito declinat, ad id quod deterius reliquerat,

s. Bernhard. serm. 25. in Cant.

rat, reversus est retrò ; qui fidem deserit, à viâ erravit. Cùm tardis sit nobis & cum celerioribus ratio, cum ambulantibus tamen. Quis est qui non proficit? qui se putaverit esse sapientem, qui dixerit, Sufficit mihi, quod sum : qui non attenderit eum, qui dicit : *quæ retrò oblitus in ea quæ ante sunt extentus secundùm intentionem, sequor ad palmam vocationis Dei in* Christo Jesu. Currentem se dixit, sequentem se dixit, nõ remansit, non retrospexit : absit ut erraverit, quia viam ipse docebat, qui & tenebat, & ostendebat. *t*.

Beati sunt qui non de præteritâ sibi justitiâ blandientes, secundùm Apostolum, per dies singulos in virtute renovantur. Justitia enim Justi non proderit ei, à quo die justus esse desierit. Sanctus ergo securus esse non debet, quamdiu in hujus vitæ agone versatur, sed totum quo tenditur spatium, vitæ tuæ est, ut peragere possis justitiam, nec de præteritâ justitiâ çonfidens remissior efficiaris. *u*.

Qua-

t. Aug. tract. de Cant. novo c. 7. *u*. Paul. Epist. ad Cælan. in fine inter epist. Hier. 10. 1.

Quare semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es; nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit; & peristi, semper adde, semper ambula, semper profice, noli in viâ remanere, noli retrorsum redire, noli deviare. Remanet, qui non proficit; retro-redit, qui ad alia revolvitur unde jam abcesserat; deviat, qui apostatat. Melius it claudus in viâ, quàm cursor præter viam. *x*.

* Quantumlibet justificatus sit quisq; habet tamen dum in hac vita est, quo probatior & melior esse possit. Qui autem non proficit, deficit: & qui nihil acquirit nonnihil perdit, *y*.

In hoc quippe mundo humana anima quasi more navis est, contra (ictum fluminis condescendentis; uno in loco nequaquam stare permittitur, quia ad) ima relabitur, in si ad summa conetur. *z*.

Nemo proinde dicat, satis est: sic volo manere: Sufficit mihi este, sicut heri & nu-

x. Abg serm. 13. de verbis Apostol. *y*. Leo Rom. serm. 8. de Passione. *z*. Gregor. Rom. 3. Pastoral. c. 35.

dius tertius. In viâ resident qui hujus modi est. In scalâ subsistit, ubi neminem vidit Patriarcha non adscendentem, aut descendentem. Dico ergo, qui existimat se stare, videat ne cadat! *a*.

Aut adscendas necesse est, aut descendas. Si attentas stare, ruas necesse est. Minime pro certò bonus est, qui melior esse non vult. Et ubi iniquis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. *b*.

Et quid claudicatis in duas partes? dixit Elias populo. Si Deus est, ite post illum; si mundus est, ite post illum; si Deus eligitur, serviatur illi, secundùm ipsius voluntatem; si mundus eligitur, ut quid fictum cor quasi Deo accommodatur? quid tibi cum pompis Diaboli, amator Christi? ô munde immunde, teneri vis pergens, quid faceres si remaneres? quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris? *c*.

Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi cervorum. d.

Spe-

a. Bernhard in epist. ad Monach. *b*. idem Epist. 91. *c*. Aug lib 4. de symb. ad Catech. *d*. Habacuc 4, 19.



Confige timore tuo carnes meas, a iudicijs enim tuis timuj. Psal. 118. v. 120.

22



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Sperabam aliquando in virtute meâ, quę tamen non erat virtus; & sic volui currere, ubi magis stare credebam, ibi magis cecidi, factusquè sum magis retrò, & non antè, & quod credebam consequi, magis elongatum est à me. *e.*

Cogitavi [ergo] *vias meas, & convertí pedes meos in testimonia tua. f.*

Adhuc sequor, adhuc proficio, adhuc ambulo, adhuc in viâ sum, adhuc me extendo, nondum perveni. *g.*

e. Aug. Soliloq. c. 25. *f.* Psal. 118. *g.* Aug. serm. 15. de verbo Domini.

IV.

Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. *Psal. 118, 120.*

Littera prima rudi quondam inculcata juventæ,
Fertur ab antiquis, Numinis esse Timor:
Certaq; non aliâ Sapientia discitur arte
Si quâ fides verbis, Nate Davide, tuis.
Hoc quoq; nostra fuit formata puertia ludo,
Doctaq; sidereas mens trepidare minas.

Semper at heu! tantis stupuit mens cœca tenebris,
Vt neq; quod toties audiit, Alpha sciat.
Tristibus Orbilii plectenda ignavia sceptris,
Post malè tot positos, nil didicisse, dies.
Et pueri ferulis segnes Elementa docentur,
Quæ levis assequitur sedulitate labor;
Aspiciunt nigras Cadmi bis, térve puellas,
Aspectasq; vocant, nomine quamque suo:
Et licet atrato sit par color omnibus ore,
Signa tamen faciem propria quamq; notant.
Cur ego quod teneris Infantia cõbibit annis,
Discere non etiam tempore posse putem?
Plurima sunt, nullo penitus mihi docta Magistro.
Cur disci nequeat, arte juvante, Timor?
Ah pudet! en timeo, quæ contempsisse decebat;
Non timeo, justos quæ meruere metus.
Flagitium, minimo timeo committere teste,
Non timeo facinus, teste patrare Deo.
Ne corpus perimant, metuo de nocte latrones,
Nil metuens Animæ certa pericla meæ.
Nempe fugit pictæ sic passer imagine larvæ,
Illita cui visco virga timenda fuit.

Sic

Sic tremit aſpectæ cervus formidine pennæ,
Nec tremit obſtantes, agmina rauca, canes. (arenæ,
Sic quoq́, Marmaricæ trepidat leo territus igne plagas.
Et cadit in tenſas, territus igne plagas.
Heu! premit humanas furor hic caligine mentes,
Fulgetras metuunt, fulmina nulla pavent:
Subjicitur pedibus nigri metus omnis Averni,
Creduntur ſtygii fabula ficta foci. (ni,
Scilicet, abjecto leve ſit ſcelus omne Timore,
Sed gravis inſequitur pœna Timore, ſcelq.
Flagitiis demũ incipium trepidare peractis,
Ante ſcelus, nullus pectora terror habet.
Tum pavor heu madidis mentem ſudoribus angit,
Et læſi ante oculos Numinis ira redit!
Tum ſubitus ſtrato vigiles Timor excutit artus,
Propria tum vacuos terret imago thoros.
Si ſtrepitũ moti dederit mus ſtramine lecti,
Creditur è ſylvis exiluiſſe leo:
Nocte levis, quaſſâſi murmuret arbore ventus,
Horreſcunt rigidæ, fronde ſonante, comæ.

Quid

Quid faciant, subitis si fulminet ignibus æther,
Aut sonet æthereo grandior axe fragor?
Pectora cœlesti stupeant perculsa tumultu,
Et flammâ metuant dissiliente peti?
Tunc terrent auræ, tunc terrent scilicet umbræ,
Augurio q3 notant omnia signa necem.
Quin etiam nemorum nocturna silentia terrent,
Ipsâ q3 se sontem mens furiata timet.
En quantum miseros, pœna mens conscia, damnat;
Ipse in sese animus verbera tortor agit.
Heu quoties stygii, turbato in Cæsare, manes;
Pharsalii quoties emicuistis agri!
Save Patris vindex, furiis agitaris, Oreste,
Vmbra trucidatæ viva Parentis erat.
Mœste colubri ferâ Pentheu laniaris Erynni,
Vindicat hoc læsos verbere Diva Deos.
Nulla reos animos agitat magè dira Tyrannis,
Quàm testem assiduè pectore ferre suum.
O Deus! ô confige tuo mihi corda timore!
Ne peccem, furor hac cuspide noster eget.

Vtilis

Utilis ante scelus Timor est qui frena gubernet,
Qui timet, admisso crimine, serò timet.

Confige timorè tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. *Psalm. 118, 120.*

NIsi timor instituendæ vitæ nostræ rudimenta jaciat, impossibile fuerit sãctimoniam legitimè observari. *Confige*, inquit, *timore tuo carnes meas*; nam quemadmodum qui corporis membra habent clavis transfixa, ad actionem quamlibet immobilia ea retinent, sic ii quorum animam occupavit *Dei timor*, omnem prorsus importunam peccati & obstreperam occasionem vitant: Timenti itaq; nulla ad complectendam virtutem defit facultas, cùm per *Timorem* ab indecorâ omni & absurdâ actione revocatur & impeditur. *h.*

Nam quemadmodum quercus altiùs demissis radicibus, nullius venti viribus sternitur, ita animam *Divino timore confixam* nullus tentationum ventus evellet. *i.*

h. Basilius hom. in Psal. 33. *i.* Chrys. hom. 53. in Ioan.

Sunt autem & carnes quædam animæ, sicut corpus est animæ. Carnes animæ, sunt carnales cogitationes: *Configat has carnes timor Domini & judiciorum ejus. k.*

* *Quicunq; Christi sunt carnem suam crucifixerunt.* Non satis est hoc: fecerunt hoc Philosophi, fecerunt hoc inanis gloriæ cupidi, faciunt hypocritæ. Carnem suam crucifixerunt, sed mercedem à Christo non acceperunt. Quare? quia timorem Dei non habuerunt. *Confige timore tuo carnes meas!* multi carnes confixerunt, non tui timore, sed vanitatis amore, &c. *l.**

Ejusmodi ergo timore eruditus, quasi freno quopiam ab arce, & inhibe animam ad vitiosam concupiscentiam propendentem. *m.*

Prudenter sagittari & impugnari salubriter postulat Sanctus cùm dicit in oratione, *Confige timore tuo carnes meas*; optima *Timor* iste *sagitta*, qui configit & interficit carnis desideria, ut spiritus salvus sit. *n.*

* Itaq;

k. Ambr. in Psal. 118 Octon. 15. *l.* Drogo Hostiensis de Sacram. Dom. Passion. *m.* Basil. hom. in Psal. 33. *n.* Bern serm. 29. in Cant.

* Itaquè sancta Electorum Ecclesia simplicitatis suæ & rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat. *o.*

Hic Timor verò omnis in amore est, & præceptorum observantiâ, & operibus vitæ innocentis, & cognitione Veritatis inundus est. *p.*

Pietas in Deum initium intellectus, Pietas est fundamentum virtutum omnium. *q.*

Teneat ergo & terreat timor Judicii, metus gehennæ, laquei mortis, dolores infernii; ignis urens, vermis corrodens, sulphur fœtens, flamma tartarea & omnia mala. *q.*

In veritate enim didici, nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam; quàm si omni tempore, coram Deo, inveniaris non altum sapere, sed timere. Beatus es si cor tuum triplici timore repleveris; ut timeas quidem pro acceptâ gratiâ, ampliùs pro amissâ, longè plus pro recuperatâ. *r.*

Sed

o. Gregor. Rom. 1 Moral. c. 13. *p.* Hilarius in Psal. 127. *q.* Ambros. 1. offic. c. 27. *q.* Bern. lib. de interiore domo, c. 36. *r.* Bern. serm. 54. in Cant, Canticor.

[Sed multi] *trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* numquid enim timor est si quis perdat divitias? non est ibi timor, & ibi timetur. si quis autem perdat sapientiam, ibi verè timor, & ibi non timetur. Stultitia, dicens in corde suo, non est Deus; timuisti perdere terram & perdidisti cœlum! *s.*

[Sed] ita se habet peccatum, ut priusquá fiat & ad opus perveniat, obtenebret & decipiat mentem; postquam autem consummatur, manifestè nobis suam absurditatem proferat & ostendat. Unde brevis illa & absurda voluptas continuum menti dolorem inserit, conscientiæquè fiduciam aufert, confusione captam perfundens. Misericors enim Deus ejuscemodi accusatorem nobis assistere voluit, ut nunquam soli relinquamur, sed in desinenter ille congrediens clamet, & pœnam exigat delictorum. Scortator enim vel adulter, etiamsi omnium obliviscí queat, numquam tamen sic in solitudine versatur, quin habens acrem illum accusatorem, suspiciones timeat, umbras tremiscat, & eos qui conscii sunt, & qui non sunt;

s. Aug. in Psal. 52.

sunt; perpetuaquè in animo ejus potestas est, ac reciprocantes & contrarii fluctus. Insuper neque somnus ei suavis, sed terrore & formidine plenus; neque cibus voluptatem præbet, neq; amicorum colloquia talem refocillare vel liberare ab urgente anxietate possunt: sed quasi *Carnificem gestaret se lancinantem & flagellantem continuò*, ita post admissum facinus obambulat; nullo conscio, sustinens intolerabiles pœnas illas, & judex sui ipsius factus & accusator. *t.*

Sonitus terroris semper in auribus illius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. u.

Explica mihi [improbi] conscientiam, & videbis intùs gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem turbationum videbis, velut in curiâ, mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem, & tamquam Judicem quempiam sedentem & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, lateraquè conscientiæ radentem unguli; pro

t. Chrys. hom. 20. in Genes. *u.* Iob. 15, 21.

pro commissis vehementer inclamantem, cùm nemo sciat, nisi quòd solùs Deus hæc videre noverit. Etenim qui committit adulterium, etiamsi millies fuerit dives, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intùs se accusare. Et voluptas quidem temporaria est, dolor verò perpetuus; timor undique ac tremor, suspicio & anxietas: angulos metuit, umbras ipsas formidat, suos ipsius famulos, conscios, inscios; illam ipsam quam corrupit, & virum quem affecit contumeliâ. Obambulat, amarum accusatorem circumferens, conscientiam, cùm sit suo ipsius judicio damnatus, nec possit vel ad breve tempus respirare. Nam & in lecto, & in mensâ, & in foro, & in domo, & interdiu & noctu, & in ipsis frequenter somniis, hæc iniquitatis simulacra videt, ipsiusquè Cain vitam vivit, gemens ac tremens super terram, cùm nemo sciat; intus tamen habet ignem implicitū. Idem patiuntur & qui rapinam exercent, & qui fraude lucrum faciunt, & ebriosi, & in summâ quotquot in peccatis vivunt. Neq; enim

enim ullâ ratione judicium illud potest corrumpi muneribus.*x*.

Externi Judices & pecuniis corrumpuntur, & assentationibus delinquuntur & metu simulant; denique multa sunt alia, quæ rectum illorum judicium depravant: At conscientiæ tribunal, nulli hominum novit cedere, sed quamvis dederis pecunias, quamvis mineris, quamvis aliud quidlibet feceris, justam feret sententiam adversus peccatorum cogitationes, adeò ut ipse quoq; qui peccatum admisit seipsum condemnet etiamsi alius nullus accuset. *y*.

Incorruptus judex, conscientia, cùm adversus hominem exurgit, clarâ voce clamat & accusat, & ostendit, & quasi ante oculos scribit peccatorum magnitudinem. *z*.

* Non ibi licebit vel celare aliquid vel negare, ubi non de longè aliquundè, sed deintus processurus est accusator & testis, *a*.

prima

x. Chrysostom. concl. 1. de Lazaro, in c. 16. Luc. *y*. Chrysost. conc. 4. de Lazar. *z*. Chrysostom. hom. 17. in Gen. *a*. Eusebius vulgò Emissa. homil. 8. ad Monachos.

--- prima est hæc ultio, quod se
Iudice nemo nocens absolvitur.

Sicut nasci viperei fœtus diruptis matrum visceribus asseruntur ; ita humana præcordia ipsis primitùs quas conceperunt passionibus dilacerantur. *b.*

Minus mens conscia recti, maxima causa trepitandi est. *c.*

--- non metuendi
caussa timere Deum: quem quisquis non timet unum,
omnia jure timet. d.

Confige [ergo Domine] *timore tuo carnes meas*; lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Utinam te sic timeret peccatrix anima mea, quomodo ille vir sanctus qui dixit: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum!e.**

b. idem Eusebius sermone 9. ibid. *c.* Alcimus Avitus de Festo Rogat. *d.* Paulinus. *e.* Augustin. medit. cap. 34.

V.

Avertere oculos meos ne videant vanitatem. *Psal. 118, 37.*

Per-



Auerte oculos meos ne videant vanitatem.
Psal. 118. v. 37.

23



PErvigilant geminæ celsô mihi vertice stellæ,
Queis est perpetuis munus in excubiis.
Nec tamen errantes neq; possum dicere fixas,
Sed meritò, duplex utraq; nomen habet.
Errat ab officio vaga sæpiùs utraq; jussô,
Vtraq; docta suum fixa tenere locum.
Motibus ambæ agiles, fixæ stationibus ambæ,
Quod genus hoc stellis Oedipus esse putet?
Vos, oculi; vos, conspicuæ duo lumina frontis,
Sidera vos estis, quæ mihi bina micant.
Vos, quibus in celsâ statio data pervigil arce,
Excubat ut summâ lucida flamma Pharo.
Aut qualis speculâ servans spectator ab altâ,
Quæq; propinqua, videt; quæq; remota, videt.
Non tamen, ut trepidis qui lucent navibus ignes,
Vos mihi tam fidâ lampade fertis opem:
Flamma regit nautas, dum flammam tedæ ministrat,
Aut flammam retrahant quæ posuêre manus;
Vos (velut excussis rapidus ruit axis habenis,
Frenaq; qui rupit durior oris equus)
Quò lubet, indomitũ differtis in avia cursũ,
Iam nullâ Domine lora regente manu.

O oculi scopuli titulo meliore vocandi!
Heu quibus allisæ tot periêre rates!
Dina peregrinas virgo visura puellas;
Mater, depositâ virginitate, redit.
Rex videt Vriaden nitido semel amne lavantem;
Illa, Cupidineas vibrat ab amne faces.
Pulcra Duci Assyrio dum comit Iuditha formam,
Assyrium truncat Iuditha compta Ducē.
Fortè senes nivcam semel aspexere Susannā,
Ambo senes oculis interiere suis.
Non tot, adinfames, dura Acroceraunia, cautes,
Hypotadæ laceras contudit ira rates.
Nō tot, inexpletis fera faucibus unda Maleæ,
Scyllaq; veliferas hausit avara trabes.
Quis pia nunc igitur non laudet fœdera lobi,
Quæ cum luminibus sanxerat ille suis?
O oculi! ô quanto vos tutius illa revulsit,
Democriti, propriis dextera magna cavis!
Quàm benè, Christiadûm quoq; nobile, Lucia, nomen,
Extudit intrepidâ lumina bina manu!

O ocu-

O oculi! ô scopuli! crudelia, barbara saxa!
Saxa, quibus magnæ tot cecidere Animæ!
Quàm malè commisso geritis pro munere curam;
Ad mala quos toties sensimus esse Duces!
Scilicet hâc vobis Capitis custodia lege,
Præcipuæq; arcis credita cura fuit.
Vt rectos hominum vultus, sublimiaq; ora
Digna Polo, brutâ deprimeretis humo.
Quin potiùs Superis mentes attollitis oris,
Hasq; super terras, Oceanumq; super?
Stellarumq; super, mundiq; volubilis orbes,
Deniq; quicquid habet, lunaq; solq; super?
Illius, ô oculi! spectacula pulcra theatri,
Materies, vestris lusibus apta foret.
Putre sed æternis cœnum præponitis Astris,
Omnis & in terras pronior ivit amor.
Quid faciam? abruptis oculi regnatis habenis,
Iam frenum indociles imperiumq; pati.
Obde, Deus piceas oculis erronibus umbras,
Aut super injectâ lumina claude manu!

Averte oculos meos ne videant vanitatem. *Psal.* 118, 37.

VÆ cæcis oculis qui te non vident, Sol illuminans Cœlum & terram! væ caligantibus oculis, qui te videre non possunt! *væ avertentibus oculis ut non videant veritatem! væ non avertentibus ut videant vanitatem. f.*

Numquid, quamdiu sumus in hoc mundo, possumus non videre vanitatem? *omnis enim creatura vanitati subjecta est.* An iste fortassis, hoc orat, ut non sit ejus vita sub sole, ubi omnia vanitas? *g.*

* Quærendum est quos oculos & à quâ vanitate oret averti. Orat autem & animi & corporis oculos, eos scilicet qui in Theatralibus ludis captivi incubant, eos qui Circensium certaminibus serviunt, eos qui vestium pretia mirantur, eos quos auri splendor & gemmarum varietas occupat. Nisi fortè non magis equorum cursu stellarum cursus est gratior, & abscœnis illis spectaculorũ turpium fabulis non amœniq divina illa humani spei eloquia cantantur? Nisi fortè huic terrenorum metallorum usui

f. Augustinus soliloq. cap. 4. *g.* Augustin. in Psalm. 118.

sui non magis æternitatis repositæ divitiæ, honor, & gloria præferrentur, & blandior mihi erit auri species, quam hominis, & terræ, & lucis, & cœli? Erigendi igitur sunt oculi quibus Christi potius gloria, quam mũdi hujus inania & vana cernantur. In viâ enim Dei referentes oculos à Vanitate, vivemus. Sequitur enim: & in viâ tuâ vivifica me. *b.* ✶

Qui in viâ est Dei, vanitates non aspicit: via perfecta Christus est; qui igitur in Christo est, quomodo potest vanitates aspicere, cùm Christus in carne suâ omnes hujus mundi crucifixerit vanitates? *Avertamus igitur oculos nostros à vanitatibus*, ne quod oculus viderit, animus concupiscat. Pantomimum aspicis, vanitas est: luctatores aspicis, vanitas est: equos currentes aspicis, vanitas est. Ante nos est Christus; ante nos bravium ejus, ad hunc dirige oculos tuos, averte à spectaculis, averte ab omni sæculari pompâ; serva eos, ut erigas melioribus. Erige ad Cœlum; vel nocte, stellarum monilia, orbem lunæ decorum; vel die, solem

b. Hilarius in Psal. 118.

aſpice. Specta mare; terram circumſpice, ut opere facta divino omnis creatura te paſcat. Quæ formarum gratia in ipſis beſtiis? quantus decor in hominibus? quanta in avibus pulcritudo? hæc intuere, & non videbis iniquitatem; hæc vide, & non introibit mors per feneſtras oculorum tuorum. Si videris mulierem ad concupiſcendam eam; intravit mors per feneſtram: ſi videris poſſeſſionem minoris aut viduæ, & concupieris deripere eam; intravit mors per feneſtras: ſi videris aliena monilia, aurum, argentum, & concupieris ut extorqueas; intravit mors per feneſtram. Claude ergo hanc feneſtram, cùm videris alienæ mulieris pulchritudinem, ne mors poſſit intrare. Vanitas eſt, ſollicitudo vitæ hujus. In vanitate currit, qui ſibi ſucceſſibus videtur affluêre ſæcularibus, qui tamquam umbra prætereunt: *Averte igitur oculos tuos, ne videant vanitatem*; Sed non ſatis eſt ut tu avertas, ne fortè velis & non poſſis; ſi offundat tibi diabolus vanitatum ſpectacula, incentiva in ſerat voluptatum;

pete:

peteut Dominus avertat oculos tuos. i.

[Etenim]pulcras formas & varios, nitidos & amœnos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam. Teneat eam Deus, qui hæc fecit bona quidem valde, sed ipse est bonum meum, non hęc. Resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam, & erigo ad te invisibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos. Tu subinde evellis eos, nam illaqueantur. Quàm innumerabilia variis artibus & opificiis, in vestibus, calceamentis, vasis & hujusmodi fabricationibus, picturis etiam diversis, figmentis, atq; his usum necessarium atq; moderatum, & piam significationem longè trãsgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum, foràs frequentes quod faciunt, intùs relinquentes à quo facti sunt, & exterminantes quo facti sunt! At ego, Deus meus, & decus mecum, etiam hinc dico tibi hymnum, & sacrificio laudem sanctificatori meo, quoniam pulcra, trajecta per animas, in manus artificiosas, ab illâ

L 4 pul-

i. Ambr. in Psalm. 118. Octon. 5.

pulcritudine veniunt, quæ super animas est, cui suspirat anima mea die ac nocte. Ego autem hæc loquens, atq; discernens etiam istis pulcris gressum innecto, sed tu evellis Domine; evellis tu, quoniam misericordia tua ante oculos meos est, nam & ego capior miserabiliter, & tu evellis misericorditer, aliquando non sentientem; quia suspensiùs incideram, aliquando cum dolore, quia jam inhæseram. *k.*

Ut Deum contemplere, factus es; non ut humi irrepat vita tua, non ut pecudum ritu, voluptate perfruaris; veriùs ut ad normam & institutum cœlestis vitæ, tuam ipsius componas: & hâc gratiâ non inscitè dixit sapiens Ecclesiastes, *sapientis oculi in capite ejus.* Cujusnam oculi non sunt in capite? atque hic, *in capite*, hoc est, ut ea contemplentur quæ in sublimi sunt; nam qui non ad bona quæ in sublimi sunt, sed quæ in terrâ respectat, is utique defigit detrahitve oculos in terram. *l.*

Perversa res est & fœdâ, luteum vas (quod

k. Aug. lib. 10. Confessio. cap. 34. *l.* Basilius M. hom. 11. in Hexæmeron.

(quod est corpus de terrâ) oculos habere sursum, cœlos liberè suscipere, cœlorumq; luminaribus oblectare aspectum; spiritualem verò cœlestemq; creaturam, suos è contrario, oculos trahere in terram deorsum; & quæ debuit *nutriri in croceis*, hærere luto tamquam unam de suibus, *amplexariquè stercora*. Erubesce anima mea divinam in pecorinam commutasse similitudinem. Erubesce volutari in cœno, quæ de cœlo es. *m*.

Qui fecit omnia, melior est omnibus, pulcrior est omnibus; qui fortia, fortior est; qui magna, major est. Quicquid amaveris, ille tibi erit. Disce amare in creaturâ Creatorem, & in facturâ factorem; ne teneatte, quod ab illo factum est, & amittas eum, à quo & ipse factus es. Ergo *beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias mendaces*. Fortè nobis dicturus est, qui versu isto percussus corrigi voluerit, & cœperit ambulare angustam viam; ambulare non durabo, si nihil spectabo; quid ergo facimus, fra-

m. Bernard. serm. 25 in Cant.

tres? dimissuri vos sumus, sine spectaculo. Demus pro spectaculis, spectacula. Et quæ spectacula daturi sumus Christiano homini? *Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua.* Miracula hominum intuebatur, intendat mirabilia tua. *Multa fecit Dominus mirabilia sua*, hæc respiciat. Aurigam laudas regentem quatuor equos, & sine lapsu atq; offensione currentes; fortè alia miracula non fecit Dominus. Regat luxuriam, regat ignaviam, regat injustitiã, regat imprudentiam, & regat & subdat sibi, & teneat habenas. Nunc specta histrionem (didicit enim homo magno studio in fune ambulare, & pendens, te suspendit) illum attende editorem majorum spectaculorũ: Didicit iste in fune ambulare: numquid fecit in mari ambulare? obliviscere theatrum tuum; attende Petrum nostrum, non funambulum, sed ut ita dicam, mariambulũ, Ambula & tu (non in illis aquis, ubi Petrus aliquid significans ambulavit, sed in aliis, quia hoc seculum mare est) hîc ambula, hoc calca Spectare vis, esto spectaculum, hæc miracula Dei sunt, hæ cogitationes

Dei

Dei sunt, quibus nemo est similis, ut spectator ille abducatur à curiositate, & quærat ista & meliora, fructuosiora, de quibus inventis gaudebit. *n.*

Porrò autem oculis maximè parcendum est, quoniam melius est labi pedibus, quàm oculis. *Si te tuus scandalizat oculus, exscinde eum.* Lascivi autem aspectus & versatilibus, ac tanquam conniventibus oculis intueri, nihil est aliud, quàm oculis mœchari, cum per eos cupiditas prima ineat pugnæ præludia. Nam ante totum corpus, corrumpuntur oculi. *o.*

Pulcrè igitur David, qui periculosos etiam ipsos aspectus fuerat expertus, beatum illum dicit, cui spes omnis in Dei nomine est, hic enim non *respicit in vanitates & insanias falsas*, unde iterum ad ipsum conversus ait: *Averte oculos meos ne videant vanitatem!* Vanitas, circus est, quia nihil prodest, vanitas, est equorum velocitas, quia mendax ad salutem est; vanitas, theatrum est; vanitas, ludus omnis. *Omnia vani-*

n. Augustin. in Psalm. 39. *o.* Clem. Alexandrinus lib. 3. in pædag. cap. 11.

tas, inquit Ecclesiastes *quæ in hoc sæculo sunt. p.*

Quàm multos scio per visum esse deceptos, & in laqueum diaboli missos! Dina filia Jacob, egressa est ut videret mulieres Regionis, & adamavit eam Sichem atque rapuit, & virginitatem illius turpiter corrupit. Et sic misera puella, quia carne vidit quod videre non debuit, honestatem ac virginitatem perdidit. David etiam stans quâdam die in solario domus suæ, vidit mulierem & adamavit eam; pro cujus amore committit adulterium & homicidium; & sic deceptus factus est legis Dei reus. Fortissimus Samson descendit in Regionem Philistinorum, & vidit ibi mulierem, atq; adamavit, & in gremio illius dormivit. *q.*

(Utinam tam prudens ad cavendam mulierem, quàm fortis ad stangulandum leonem!) *r.*

Illa verò crines capitis ejus rasit, & tradidit eum in manibus inimicorum ejus, qui statim oculos ejus eruerunt. Moneo ergo ut.

p. Ambr. de fugâ sæculi c. 1. *q.* D. Bern. de modo bene viven. serm. 23. *r.* Paulin. ep. 4. ad Severi.

ut *facias pactum cum oculis tuis*, ne incautè videas, quod videre non debes. *s.*

Videtur enim super omnia esse aversandus mulierum aspectus; non solùm enim si tangantur, sed etiam si spectentur, potest peccari, quas maximè vitare oportet eos qui rectè & syncerè constituuntur. *Oculi enim tui recta videant.* etsi enim fieri potest, ut qui viderit, se fortiter gerat, veruntamen cavendum est ne cadat: fieri enim potest, ut qui viderit, labatur; sed fieri non potest, ut qui non viderit, concupiscat. *t.*

* Mors introivit per fenestras vestras: Nam quinque sensibus præditi sumus, per quos aut vitam recipimus aut mortem. Quas, fenestras, obstruamus timore Dei ut ad omnes istius mundi formas & voces surdi simus & cœci. Sepiamus aures nostras spinis contra linguam nequam & illecebrosa modulamina. Avertamus oculos nostros ne videant vanitatem. &c: *u.*

Quam castos nos esse Salvator voluerit,

L. 7 inde

s. Bern. de modo bene vivendi, ser. 23. *t.* Clem. Alex. lib. 3. pædag. cap. 21. *u.* Paulinus Epist. 26. ad Sanct. & Amand.

inde liquet, quod etiam licentiam visionis abscidit. Sciens enim quodammodò fenestras esse nostrarum mentium, lumen oculorum, & omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales cuniculos introire, extinguere eas penitùs foris voluit, ne intùs orirentur, & lethaliter crescentibus fibris convalescerent fortasse in animo, si germinâssent in visu. Idcircò ait Dominus petuleos impudicorum intuitus noxâ adulterii non carere: scilicet, ut qui bonâ fide fugeret adulterium, custodiret adspectum. x.

[Ergò] *averte oculos meos*: Cordis oculos, ne intenti sint vanitati, ne humanam gloriam quærant, ne cum boni aliquid appetunt, non dilectione ipsius summi boni, sed amore præsentis utilitatis, aut laudis hoc faciant. Ne postremò justitiam suam ad se magis, quam ad Dominum referant, & in se magis quam in Domino glorientur. Hanc ergò vanitatem perhorrescens meritò adjecit: *in viâ tuâ vivifica me*: id est, in Chri-

x. Salvianus 3. de Gubern. Dei.



Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar. Psal. 118. v. 80.

21

BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Christo: qui est contrarius vanitati, & non solum via est, sed & vita & veritas. y.*

y. Prosper in Psalmum 118.

VI.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non cõfundar. *Psalm. 118, 80.*

Si tibi me gratam facie fore, sponse, putarem,
Nulla mihi prior hoc cura labore foret.
Prima q3 de nitidis cautela coloribus esset,
Altera, deformes ore fugare notas;
Nulla q3 deficerẽt medicandis vultib9 arma,
Multa sed omnigenas pixis haberet aquas;
Multa q3 compositos celaret capsa colores,
Quæ q2 novant vetulam picta venena cutem;
Lana q3 purpurei madefacta rubedine fuci,
Cretaque montanas vincere nata nives.
Et nitri rubra spuma & pinguia poppæana,
Quæque cutis maculas, Halcyonea, necãt.
Denique quicquid id est, quo tingitis ora, puellæ,
Ah nimium formæ gens studiosa tuæ!

Tunc

Tunc quoque corrigerem speculo censore liturας,
Ore nec in toto menda notanda foret.
Siquè supercilij pilus unus abesset ab arcu,
Vnicus ecce pilus, vociferarer, abest.
Si color inficeret vitiatos decolor orbes,
Luminibus color hic, vociferarer, obest.
Si nimis adductam convolueret area frontẽ,
Quæ mihi ruga cutem, vociferarer, arat?
Nempe vel exiguo metuam te lædere nævo
Vlla foret formæ si tibi cura meæ.
Vnaquè, quæ tumidum faceret verruncula clivum,
Hæc foret offensæ causa putata tuæ.
Atque ita de minimis audirer dicere mendis
Displicet hæc sponsō fortè litura meo.
Nostro igitur reliquus si quis decor abforet ori,
Eximeret vitium factus ab arte decor;
Cæsariemquè alto struerent tabulata capillo,
Staret & in volucri plurima gemma comâ: (chi.
Aure duplex gemini pretium penderet Elen-
Iret Erythræus colla per alba lapis.

Tum q3:

Tumquè ego sic faciem, rutilos ita compta capillos,
Auderem ternas vincere quarta Deas.
Sed memini; neque te facies, neque forma lacessit,
Spes capit hæc cœcos invidiosa procos;
Qui, quid ament, inter phaleras tot sapè requirunt; (est?
Quas ubi sustuleris, pars quota Virgo sui
Fallitur infido prope, turba levissima, fuco;
Præter & has phaleras, vix quod ametur, habent.
Æquabat niveos par Vilge fortis olores
Nota animis forma nomine virgo suæ:
Fiat ut Androgynos setosis hispida malis;
Barba, rogat, teneras, vestiat hirta genas.
Lucia sydereis, ceu fax, lucebat ocellis,
Cunctorumquè oculis, Lucia, sidus erat.
Ne malè luceret, mea lux, extinguere, dixit;
Fodit & impactâ lumen utrumque manu.
Læserat egregio multos Euphemia vultu,
Fecerat & roseis vulnera multa labris;
Vt fieret mutilo, fœdoquè inamabilis ore,
Abscidit ense duas, bina labella, rosas.

Ma-

Maxima de facie verus præconia rumor,
Deq; tuis dederat Andrageſina genis:
Non poteras veram falſi convincere famam,
Quod poteras, facta eſt per tua vota, brevis.

Sponſe, peregrinæ non carperis igne figuræ,
Nec bene criſpatæ falleris arte comæ:
Cor tibi labe carens, tibi cor ſine crimine, cordi eſt;
Obſtet & ut facies, cor tibi, ſponſe, placet.
O utinam mihi cor nullis infame luturis,
Flagitii purum ſuſpicione vacet!
Tum, ſecura tui mihi mens geſtiret amoris,
Nec mea dejiceret conſcius ora pudor.

Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis, ut non confundar. *Pſal. 118, 80.*

MEritò omnis cura Sanctorum, ſpreto ornatu, cultuquè ſuperfluo exterioris hominis (qui certè corrumpitur) omni ſe diligentiâ præbet & occupat excolendo ac decorando interiori illi qui ad imaginem Dei eſt, & renovatur de die in diem. z. Hæc

z. Bern. ſerm. 25. in Cant.

Hæc, hæc profectò pulcritudo est, cui nihil deest, quæ sola meretur audire à Domino *Tota es formosa proxima, & reprehensio non est in te; a.*

Pulcritudo enim optima, primùm est pulcritudo Animæ. Est autem absurdum eos qui facti sunt ad imaginem Dei & similitudinem, (tanquam Archetypum exemplar contemnentes) externum ornatum inducere; improbum humanum artificium Dei artificio præferentes. *b.*

Non ergo externi hominis aspectus, sed animus probitatis ornamento est ornandus. *c.*

Moribus ornatur, non opibus, Probitas.
Horreat inlusas auro, vel murice vestes,
Aurea vestis huic gratia pura Dei est.
Respuat & variis distincta monilia gemmis,
Nobilis ut Domino gëma sit ipsa Deo. & c.
Namq; ubi corpore & curatur gloria pompæ,
Vilescit pretio depretiatus homo,
Et malè mens pravi cæcata libidine voti,
Sordescit nitidis corporis exuviis,

Nec

a. Amb. lib. 1. de vir. *b.* Clemens Alexandr. lib. 1. pædagog. cap. 2. *c.* Ibidem.

Nec sentit quam turpe decus gerat improbus, ut sit
Veste suâ levior, qui sibi veste placet. d.

Non intelligunt [enim] miseræ, se propriam perdere pulcritudinem, dum externam inducunt. *e.*

Antiphanus Comicus in Malthaea: irridet.

Venit ipsa, transit, accidit, non transit,
Venit, adest, abstergitur, accidit,
Smigmate, saponeve purgatur,
Pectitur, ejicit, teritur, lavatur,
Se contemplatur, componitur, unguentis perfunditur.
Ornatur, ungitur, & si quid non habeat, enecatur,
Ter enim, non semel dignæ sunt, quæ pereant,
Quæ Crocodylorum excrementis utuntur.
Et spumâ lacertarum unguntur,
Et supercilia fuligine illinunt
Et cerussâ.

Porrò autem alias quoq; arguit Comicus, nempè Alexis, ejus enim verba afferam. *Est*

d. Paulinus in Epithalam. *e.* Clemens Alex. loco. cod.

Est aliqua parva; suber, insuitur in soleis:
Longa est aliqua; tenue gestat diabathron:
Caput in humerum demittens ingreditur,
Hoc ei detrahit de longitudine;
Depressiores alicui sunt coxæ & femora;
Eis aliquid assuit,----
Mollem ac prominentem habet ventrem;
(Vt comicorum nutrices) appositis nonnullis,
eum erigit:
Depressus est venter; veluti contis efficit ut
anterius procedat:
Supercilia habet flava; ea aliquâ depingit
fuligine:
Contigit alicui ut sit nigra; tollit nigrorem
cerussa:
Est aliqua nimis alba, interitur farina:
Habet aliquam corporis partem candidam,
eam nudat, ostendit;
Bellos habet dentes; rideat, necesse est;
Et quamvis non sit læta, toto tamen die ri-
det,
In labris tenuem habens myrthi tabellam,
Vi velit, nolit, ea cogatur tandem diducere.

Resideat quidem in vultu pudor & viraginem aspectu præ se ferat, procul autem ab-

absit caligo myropolarum, aurificum, lanificum, cæterarumquè officinarum. *f.*

Atq; cùm caro quidem serva sit, quemadmodum testatur Paulus, quomodo quispiam jure ancillam, lenonis instar, exornaverit? Ipsum autem Dominum fuisse aspectu deformem testatur spiritus per Isaiam; *& vidimus ipsum, nec habebat speciem, nec pulchritudinem*, Quis est autem Domino præstantior? sed non carnis pulcritudinem (quæ visione apprehenditur) sed veram animæ & corporis ostendit pulcritudinem: Animæ quidem beneficentiam; carnis verò immortalitatem. *g.*

Quando eras in sæculo, ea quæ erant sæculi diligebas, polire faciem purpurisso, & cerussâ ora depingere; ornare crinem & alienis capillis turritum verticem struere. Ut taceam de inaurium pretiis, candore margaritarum, rubri maris profunda testantiũ; smaragdorum virore, cerauniorum flammis, hyacinthorum pelago, ad quæ ardent & insaniunt studia matronarum. *h.*

f. Clem Alexandr. lib. 3. pædag. cap. 11. *g.* Idem. lib. 3. pædag. cap. 1. *h.* Hiero. ad Demetre. virg. servam. c. 5.

Ablue à malitiâ cor tuum. i.

Quam enim mihi dabis animam, quam audeas ex toto pulcram definire? *k.*

Nemo mundus à sorde. l.

Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es iniquitate tuâ. m.

Da mihi, Domine, cor quod te timeat, mentem quæ te diligat, aures quæ te audiant, oculos qui te videant! *n.*

Cor enim hominis quadam velut indecentium cogitationum colluvie maculatur. Noli extraordinariis cogitationibus adversa naturæ contaminare penetralia. manus lavas, quasi possis crimina eluere, cùm mentem tuam vel nudis cogitationibus inquinatam lavare non possis. Didicisti cor esse mundandum; disce quemadmodum mundes. Mundat hunc fontem justificatio legitima, hoc est, confessio peccatorum. Munda ergo aquam tuam, illam aquam de qua dictum est, *aqua alta, consilium in corde viri*, quæ sint justificationes, audisti dicentem:

i. Hier. 4. *k.* Gilb. serm. 29. in Cant. *l.* Iob. 25. *m.* Hier. 2. *n.* August. med. c. 40.

tem: *Dic iniquitates tuas, ut justificeris*: Ergo qui iniquitates suas dixit, justificatur, qui autem justificatur, non confunditur, quia pudorem peccatorum maturâ confessione prævenit. *o.*

* Cor, membrorum Christi, fit immaculatum per ipsum corporis caput, hoc est per gratiam Dei: in regenerationis lavacro. ubi abluta sunt omnia peccata præterita: in adjutorio Spiritus, quo concupiscimus adversus carnem, ne ejus cupiditate vincamur: in Dominicæ orationis effectu, quâ dicimus; *Dimitte nobis debita nostra.* Ita donatâ nobis regeneratione, fusâ precatione, fit cor nostrum immaculatum, ut non confundamur: Quia & hoc ad justificationes Dei pertinet: Quando inter alia ejus mandata præcipitur; *Dimitte & dimittetur vobis: date & dabitur vobis.* *p.*

Nescis ergo, Anima mea, quam fœda priùs fuisti, quàm deformis & squallida, discissa & dissipata, omni horrore, & enormitate plena! Priùs stude formam tuam excole-

o. Ambr. in psal. 118. Octon. 11. *p.* Prosper in Psalm. 118. ex Augustino.

colere, faciem ornare, habitum componere, maculas tergere, munditiam reparare, mores corrigere, Disciplinam servare, & omnibus tandem in melius commutatis, digno sponso dignam sponsam reddere. Numquid audisti, quid Rex Assverus fecit? *Factum est Regis præceptum, ut de omni Regno suo congregarentur puellæ speciosæ virgines, & adducerentur ad Civitatem Susan, & traderentur in domum fœminarum, ibique acciperent mundum muliebrem, & cætera ad usum necessaria. Sicq; omnibus abundanter secundum Regiam ambitionem suppletis, excolerentur & ornarentur. Per sex menses, oleo myrthino ungerentur, per alios seu quibusdam pigmentis uterentur, & sic compositæ & ornatæ de triclinio fœminarum ad Regis cubiculum transirent, ut quæ ex omnibus, magis oculis Regis placuisset, illa pro Vasthi in solio Regni sederet.* Consideremus ergo si fortè exemplum hoc, præsenti (de quo agimus) negotio valeat adaptari. Rex, summi Regis filius, venit in hunc mundum, desponsare sibi uxorem electam, uxorem unicam, uxorem nuptiis Regalibus dignam.

Missi sunt Ministri Regis, Apostoli videlicet, per totum mundum congregare animas ad sanctam Ecclesiam, in quâ domus est & mansio mulierum regiarum, id est, sanctarum Animarum. Ibi sacramenta Christi, quasi quædam unguenta, & antidota ad reparationem & ad ornatum animarum præparata, accipiunt. Vide ergo ubi posita es, & intelliges quid facere debeas. Posuit enim te sponsus in triclinio, ubi mulieres ornantur: varia pigmenta, & diversas species dedit, ciboſquè Regios de mensâ suâ, tibi ministrari præcepit; quidquid ad sanitatem, quidquid ad refectionem, quidquid ad reparandam speciem, quidquid ad augendū decorem valere potest, tribuit. Primò fons Baptismi est hic positus, & lavacrum regenerationis, in quo sordes præteritorum criminum abluis. Deinde chrisma & oleum, in cujus unctione, Spiritu sancto liniris. Post hæc, delibuta & unctione lætitiæ perfusa, ad mensam venis, & percipis ibi alimentum corporis & sanguinis Christi, quò interiùs saginata, atque refecta, noxiam illam præteritorum

jeju-

jejuniorum maciem depellis. Deinde vel stimenta bonorum operum induis, & fructu eleemosynarum, cum jejuniis & Orationibus, cum sacris vigiliis, aliisquê operibus pietatis quasi quodam vario ornatu decoraris. Ad ultimum sequuntur aromata virtutum, quarum odor suave spirans, omnem illum antiquarum sordium fœtorem fugat. Datur etiam tibi *speculum, sancta Scriptura, ut ubi videas faciem tuam*, ne quid minùs, aut aliter quàm decet, habeat compositio ornatus tui.

O quàm multa sunt in me, de quibus coram oculis ejus erubesco, & pro quibus jam magis illi displicere timeo, quàm pro iis, quæ laudanda in me sunt (si qua sunt) placere, posse in me confido! O utinam ad modicum ab oculis ejus possem abscondi, donec maculas omnes istas detergerem, & sic demum ante conspectum ejus, sine maculâ, immaculata apparerem! Nam quomodo in hâc deformitate placere illi potero, quæ & mihi quoque in illâ vehementer displiceo? ô maculæ veteres! ô maculæ fœdæ & turpes! quid tamdiu hæretis? abire,

Missi sunt Ministri Regis, Apostoli videlicet, per totum mundum congregare animas ad sanctam Ecclesiam, in quâ domus est & mansio mulierum regiarum, id est, sanctarum Animarum. Ibi sacramenta Christi, quasi quædam unguenta, & antidota ad reparationem & ad ornatum animarum præparata, accipiunt. Vide ergo ubi posita es, & intelliges quid facere debeas. Posuit enim te sponsus in triclinio, ubi mulieres ornantur: varia pigmenta, & diversas species dedit, ciboscuè Regios de mensâ suâ, tibi ministrari præcepit; quidquid ad sanitatem, quidquid ad refectionem, quidquid ad reparandam speciem, quidquid ad augendū decorem valere potest, tribuit. Primò fons Baptismi est hic positus, & lavacrum regenerationis, in quo sordes præteritorum criminum abluis. Deinde chrisma & oleum, in cujus unctione, Spiritu sancto liniris. Post hæc, delibuta & unctione lætitiæ perfusa, ad mensam venis, & percipis ibi alimentum corporis & sanguinis Christi, quò interiùs saginata, atque refecta, noxiam illam præteritorum

jeju-

jejuniorum maciem depellis. Deinde vel stimenta bonorum operum induis, & fructu eleemosynarum, cum jejuniis & Orationibus, cum sacris vigiliis, aliisquè operibus pietatis quasi quodam vario ornatu decoraris. Ad ultimum sequuntur aromata virtutum, quarum odor suave spirans, omnem illum antiquarum sordium fœtorem fugat. Datur etiam tibi *speculum, sancta Scriptura, ut ubi videas faciem tuam*, ne quid minùs, aut aliter quàm decet, habeat compositio ornatus tui.

O quàm multa sunt in me, de quibus coram oculis ejus erubesco, & pro quibus jam magis illi displicere timeo, quàm pro iis, quæ laudanda in me sunt (si qua sunt) placere, posse in me confido! O utinam ad modicum ab oculis ejus possem abscondi, donec maculas omnes istas detergerem, & sic demum ante conspectum ejus, sine maculâ, immaculata apparerem! Nam quomodo in hâc deformitate placere illi potero, quæ & mihi quoque in illâ vehementer displiceo? ô maculæ veteres! ô maculæ fœdæ & turpes! quid tamdiu hæretis? abire,

discedite, & ne præsumatis ampliùs oculos dilecti mei offendere. *q.*

q. Hugo de S. Victore in Arrha, Animæ.

VII.

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. *Cant. 7, 11.*

I Am satis urbanas, mea lux, habitavimus ædes;
Quin semel in virides exspatiamur agros?
Tuta quidē validi circumdāt oppida muri,
Portaq́, ferratis non caret ulla seris;
Est tamē in patulis, quid nescio, tutiq́ hortis,
Quod nusquam in clausæ mœnibus urbis habes.
Magnificis turgent urbana palatia tectis,
Multus & hic celsâ cuspide surgit apex.
Nescio quid melius tamen illa mapalia spirent,
Rustica quæ tenui stramine canna tegit.
Quid dubitas, mea lux, quin, quàm procul urbibus agri,
Tam procul agrestum, distet ab urbe quies?

Fa-



Veni dilecte mi, egrediamur in agrum. commoremur in villis. cantic. 7. v. ii



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Fabula cantatur vatum notissima lusu,
Ad benè fallendas fabula ficta vias:
Et facit ad rerum modò quas tractavimus usum;
Si lubet, auditu decipiemus iter,
Rusticus urbanum tecto mus paupere murē,
Fertur & appositis detinuisse cibis.
Musq; epulas muris ridens urbanq; agrestis,
Hæc tua si mensa est, sat mihi ruris, ait.
Mox vice conversâ, mus Rusticus ivit in urbem,
Vrbico in hospitium mure vocante suum:
Magnaq; cum tanto minor esset mensa paratu,
Vt sonuêre fores mensa relicta fuit;
Et propè deprenso convivâ expalluit hospes,
Turbatiq; suum vix reperêre cavum.
Rusticus ast animo sensim cum voce recepto,
Corripuit celerem Musculus urbe fugã:
Et procul è clivis oculis ad mœnia torquens;
Quàm meus his præstat mœnibus, inquit, ager!
Iam satis urbanas, mea lux, habitavimus ædes.
Vrbe volant strepitus, Rus colit alta quies.

Si memor es (subeat tibi pars lautissima vulgi)
Quisq; suburbanum rus propè cinis habet;
Cumq; suam assiduè commendet quilibet urbem,
Re tamen, ipsa magis rura; placere docent.
Quin, quorum imperiis urbesq; arcesq; reguntur,
Anxia securo pectora rure levant.
Et magis hic puri libertas aurea Cœli,
Quàm laqueata, domi, marmore tecta placent.
Nec quæ centeno sinuat se porticus arcu,
Lenit, ut ambiguos parvula villa, metus.
Iam satis urbanas, mea lux, habitavimus ædes,
Quin semel in villis degimus, aut in agris?
Est mihi fontanis circumdata villula rivis,
Villula, quâ nusquam cultior ulla viret.
Seu cœli ingenio, seu fertilis indole terræ;
Aptaq; vicini commoditate loci.
Huc mea lux, paucis tantùm si veneris horis,
Oblitus patriæ protinus urbis eris,
Tumq; ego, ceu taçitâ turtur meditatus in umbrâ,
Libera, colloquiis, Sponse, vocabo tuis.

Et procul à populis procul urbibus atq; tumultu
Optata toties, sola, quiete fruar.
Audiet hîc nullus quæ mutua verba loquemur,
Nostraq; qui turbet otia nullus erit.
Quisq; notet nostros, nemo metuendus, amores.
Tetricus hic nullum jus sibi Censor habet.
Tunc mihi tu promes secretis intima fibris
Quæq; juvent animum verba cupita meum. (*flammâ;*
Tunc ego, sim quantâ, dicam tibi, saucia
Quæq;, licet similes, dicta placere, scio,
O sæmeloptati micet hæc mihi sideris aura;
Quàm fortunato lux erit illa die!
Iam satis urbanas, mea lux habitavimus ædes;
Nostra sit exiguo tempore, villa domus.

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum commoremur in villis. *Cant. 7, 11.*

Quis dabit mihi in solitudine diversorium viatorum?r. M 4 Mal-

r. Hier. 2.

Mallem [enim] in solitudine habitare, per quam nullus vel rarus transit. *s.*

Utinam nullus hominum esset mecum exteriùs, ut familiariùs loqui possem cum Deo interiùs: ipse enim & secretum quærit, & solitarium locum diligit. Fugiam ergo hominum solatia & colloquia; ut in secreto cordis mei, Deum habitatorem habere possim. Assuescam ergo sola intima cogitare, sola interiora diligere, & in illis permanere, ut possim audire *quid loquatur in me Dominus Deus meus.* Ecce adsum piissime Deus, tecum sum, intùs sum. Quamdiu in exterioribus occupatus fui, vocem tuam intrà audire non potui. Nunc autem reversus ad me, ingressus sum ad te, ut possim te audire, & tibi loqui. *t.*

Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. u.

Fugiens se elongat, qui à turba desideriorum temporalium in altam Dei contemplationem se sublevat. *x.*

Oppi-

s. D. Thom. Aquin. hoc loco. *t.* Bern. de interdomo cap. 66. *u.* Psalm. 54. *x.* Greg. l. 4 mor. c. 5. in Iob.

Oppidum, carcer; solitudo, paradysus est.y.

O solitudo beata! ô Ereme, mors vitiorum, vita virtutum! te lex & Prophetæ mirantur, & quicumque ad perfectionem venerunt, per te in Paradysum introierunt: ô beata vita solitaria & contemplativa! quid ultrà de te loquar? ipse Dei filius Salvator & Magister noster, exemplum dedit nobis, fugiens in desertum & mansit in solitudine, ubi sunt Rosæ charitatis, quæ semper flammescunt, quæ semper in sancto odore vivunt? ô solitudo negotiorum cœlestium apotheca! in te transitoria & terrena mutantur in cœlestia & æterna. Denique in te, lacrymæ mutantur in risum, & gaudium pariunt sempiternum.z.

Pia anima [Deo] se totam exhibere nitens in studio contemplationis *Veni*, inquit, *in agrum, commoremur in villis*: congruentissimè contemplationis studium, *agri* exprimit vocabulo; quia & illud in solitudine, longequè ab hominum conversa-

y. Hieron. Epist. ad Rustic. z. Bernard. homil. *Simile est Regnum cœlorum homini negotianti*.

tione exerceri solet; & novimus agrum eas dici terras, quæ sunt in solitudine, longeq; à conventibus humanis; Ac, sicut ager si excolatur, ingentem profert fructuum uberatem, quibus nutrimur in corpore, ita & contemplatio, si rectè exerceatur, tantam profert virtutum copiam, ut per illas, in vita alamur spirituali. Unde bene & in libro Geneſis dicitur de S. Isaac: *Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinatâ jam die?* Nec minùs congruè particulares meditationes, villarum nomine designat; quandoquidem, sicut villas ea appellare solemus prædia, in quibus præclaræ in agro sunt habitationes, ad id potissimùm extructæ, ut in illas tunc se conferant homines, cùm à mundanis negotiis respirare voluerint; cùm ex infirmitate aliquâ convalescere, aut quoquo pacto se recreare voluerint, & cùm fructus ex agro colligere, atque servare curaverint: ita & meditationes pariter præclara sunt ædificia ab Animâ ipsâ in agro contemplationis sibi extructa, in quibus illa, fugiens præsentis sæculi negotia, quietè commoretur; in quibus & commo-

rans,

rans, ex qualiber peccati ægritudine convalescat, summisq; fruatur deliciis, ac demum eximios virtutum colligat, servetque fructus. Benè qsioque pia anima, cum Deo dilecto suo, *egredi* se, inquit, velle in *agrum* contemplationis, & *commorari in villis* meditationum, cùm voluptatem nullam percipiat ex hominum conversatione. Quin imò quamvis terrenarum rerum copia exuberet in sæculo; quamvis prospere sibi cuncta contingant, minimè tamen ex commodis hisce, quippiam percipiat voluptatis, nec unquam verè sed arbitratur lætã, nisi cum sibi egredi liceat in hunc contemplationis agrum. Quâ in re, videtur se habere instar avis illius, quæ tametsi in caveâ omnibus abundet rebus, tum quæ ad victum ei sunt necessaria, tum quæ voluptati illi esse possent; lætam tamen numquam se reputat, quoad usque permissum ipsi fuerit, à caveâ ipsâ egredi, liberè volare, & commorari in foraminibus petræ, Jure autem cum Deo egredi vult, quem unum habet dilectum; quia nec homines ardenter quempiam amantes, villarum quippiam

percipiunt gustus, nisi amicum illum comitem habeant, ideoquè ipsum invitant. Et experientiâ comprobamus, etiam summos Reges ac Principes, ad quos difficilimus aditus esse solet, cùm in palatio Regioquè in throno residant, in villis commorantes, etiam cùm infimis rusticis libentissimè cõversari; & hoc illud est, quod anima intendit, cùm illum in dictum invitat agrum & villas, ut familiariter cum eo agat, uti cum unico dilecto. Neque verò ad modicum temporis huic indulgere vult studio contemplationis, & familiariter agere cum Deo, sed delectatione maximâ, diutiùs in eo optat persistere; id namque iis indicat verbis; *commoremur, seu pernoctemus*, aut *requiescamus in villis*. a.

Quamdiu [enim] animus permixtus est turbis & in multitudine fluctuantium volutatur, nec vacat soli Deo, nec segregatus est à vulgo. Propterea, ô anima, quæ per orationem & contemplationem Deo vacare decrevisti, esto sola; hominum consortia fuge, tumultuosas mortalium conversationes

a. Mich. Gisler. in c. 7. Cant.

tiones devita, ut illi soli te solam serves, quem ex omnibus elegisti. *b*.

O sancta Anima, sola esto, ut soli omniū serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos, secede ab amicis & intimis, etiam & ab illo qui tibi ministrat. An nescis, te verecundum habere sponsum, & qui nequaquam velit tibi suam indulgere præsentiā, præsentibus cæteris? secede ergo, sed mente, non corpore, sed intētione, sed devotione, sed spiritu: de cætero, sola indicitur tibi mentis & spiritus solitudo. Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant, alioquin nec si solus corpore es, solus es. *c*.

* Nam quid prodest si locus quietis tātùm corporaliter tenetur, & inquietudo in corde versetur? Quid inquam, prodest, si in habitatione silentium sit, & in habitatoribus vitiorum tumultus & colluctatio passionum? si exteriora nostra serenitas tene-

 at, &

b. Laur. Iustin. in lig. vit. tract. de orat. cap. 5.
c. Bern. homil. 40. in Cant.

at, & interiora tempestas? *d.*

Ergo Sponsa, jam inquit, mysterio adscensionis assumptum hominem ad cœlis sublevâsti: sed veni divinæ majestatis præsentiâ me sæpius visitando: egrediamur in agrum hujus mundi: Prædicemus tuæ incarnationis fidem mundo: in villis ac pagis commoremur, ipsis quoquè paganis fidem tuam annunciantes. *e.*

Ager teste Veritate Matth. 13, 37. *est hic mundus*: in agrum verò Sponsus cum Spôsâ egreditur, quandò verbum Dei carne susceptâ in thalamo Virginis mundo monstratur. In villis commoratur, quando Gentes per fidem visitat, quam recipientibus largitur. *f.*

Ex quo videndum est, utrum justè faciunt illi qui se removentes ab occupationibus cunctis, ac studiis spiritualibus auferentes, nihil humanæ societati proficiunt, & desideria sua commodis omnium præferentes, utilitatem communem desideratæ vocationis electione contemnunt? cum pro-

d. Eusebius Emisen. hom. 4. *e.* Cassiodorus in Cant. cap. 7. *f.* Gregorius Magn. ibidem.

profecto laborantibus opem ferre nolle cum possis, & communi bona posthabito otiosâ quiete frui, nihil habeat æquitatis. Cui æquitati qui serviunt, omnes omnium bono vivunt, ac velut sibi invicem nati salutem mutuam tuentur ac diligunt, &c. *g.**

O desertum Christi floribus vernans! ô solitudo in quâ illi nascuntur lapides de quibus in Apocalypsi civitas magni Regis extruitur! ô Eremus; familiariùs Deo gaudens! quid agis? quamdiu te tectorum umbræ premunt? quamdiu fumosarum urbium carcer includit? Crede mihi nescio, quid plus lucis aspicio; libet sarcinâ corporis abjectâ, ad purum ætheris evolare fulgorem. *h.*

* Exeamus ergò in agrum, in quo non vacuus labor, sed fœcundus est proventus gratiarum. Sinus Patriarcharum recessus quidam est quietis æternæ. Requiescamus in castellis, ubi requies est tutior, quę septo cœlestis refugii munita atq; vallata non exagitatur secularium incursibus bestiarum. *i.* *. Trahe

g. Prosper de vit. contempl. l. 3. c. 28. *h.* Hieron. epist. 1. ad Heliod. *i.* Ambros. de obit. Valent.

VIII.

Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. *Cant. 1, 3.*

Aspicis ut jaceant strati sine viribus artus,
Nec sim qualis eram, sola sed umbra mei?
Vix traho pertæsa fastidia tetrica vitæ,
Ipsaq; sunt oneri languida membra sibi.
Lassa jacet capitis nimio sub pondere cervix,
Sarcina sunt q; manus, sarcina sunt q; pedes.
Assidueq; novam quærunt jactata quietem,
Nec scio quo tandem fessa locare situ.
Surgere nunc meditor, nunc lassa recumbere strato,
Nunc nixum cubito sustinuisse caput.
Nunc lubet inverso, nunc ore cubare supino,
Nunc aliud lateri substituisse latus.
Cuq; tori cunctas pervagravi languida partes,
Quilibet ex æquo displicet usque locus.
Heu! quid agam, gravis ipsa mihi, languensque, jacensque,
Tequè volens cursu, non tamen apta, sequi?

Aut



Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum. cantic. 1. v. 3.



An fugis, & mediis morientem deseris agris,
Nec mora tanta datur dum comes ire queam?
Ægerita in Libycis, à milite, miles arenis
Deseritur, subita cum data signa fugæ;
In triviis genitrix ita projicit impia natum,
Quem lactare pudor, puerperiúsve vetat.
Tende manum, nostrique prius miserere doloris;
Tende manum refugo vel pede siste gradum.
Troica Dardanius cùm Pergama cingeret ignis,
Quisquè senem rapuit filius igne Patrem.
Trans mare defessam fert nata Ciconia matrem,
Sustinet hinnulei Cerva natantis onus.
Tu solam ignotis, fugitive, relinquis in arvis,
Nec sinis hoc humeris ponderis esse tuis?
Quamquam ego; vel fieri tibi sarcina tanta recusem,
Si modò vel leviter traxeris, ipsa sequar.
Et sequar & curram, rapiarque simillima vento,
Languida funesto qua modò strata solo.

Nec

Nec quibus invitam cogas, opus ense, vel armis,
Sponte nec injecto, libera, fune sequar.
Traxit ad impulsæ querulos testudinis ictus,
Cum sylvis Geticas Thrax Cytharista feras:
Traxit, & attonitæ sylvæque, feraque stupebant;
Sic fide sic filo, se potuisse trahi.
Non ego Bystonii movear testudine Vatis,
Nec trahar Aoniæ voce sonante lyræ.
Quemque sui rapiunt sensus, sua quemque voluptas,
Se sinit hic oculis, auribus ille capi.
Non ego luminibus, non auribus otia venor,
Noster Achamenij languor odoris eget.
Lux mea, rorilegis halat tibi spica capillis,
Manat odorata Palladis imbre caput.
Vda Palæstino fragrant tibi tempora nardo
Myrrhaque de madidis stillat odora labris.
Efflat Orontæi tibi graminis halitus auras,
Verbaque quot loqueris tot jacis ore rosas.
Albaque Panchæo cervix tibi sudat olivo,
Assyrioque humeros rore perungit Onix.

Et

Et manus Ambrosius pluit utraque roscida guttis,
Et digiti Libycæ germina messis olent.
Denique quicquid olent, conchis unguenta Sabæis,
Balsama quicquid olent, hoc meus halat (Amor.
Nec solùm Assyriis quæ sudant balsama ramis,
Nataquè odorifero thura Sabæa solo:
Fragrat Orontæis hîc spica süavior herbis,
Guttaquè Panchæis nobilior lacrymis.
Nempe tuo qualis, Basilissa pudica, cubili,
Qualis odor thalamo, Cæcilia casta tuo;
Aut qualis, cùm Dorotheæ pennatus Ephebus
Attulit hybernas germina vernarosas;
Aut Nasarenigenæ qualis cum Virginis ædem
Sparsit Iessæi floris anhelus odor;
Denique Divorum qualis cùm gemmea stillant
Indigetum liquidis amphitheatra crocis.
O semel has liceat mihi ducere naribo auras!
Quæ modò languebã, sana repente sequar.
Multaquè currentem sociarũ turba subibit,
Vt glomerat socios uncta columba greges.

Tra-

Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. *Cant.* 1, 3.

ANima amans fertur votis, trahitur desideriis. *k.*

Fessa sum, deficio, noli me deserere, *sed trahe me post te*, ne incipiam vagari post amatores alios, nec curram quasi in incertum, *Trahe me post te*, quia satiùs mihi est ut me trahas, ut scilicet vim qualemcumque mihi, aut terrendo minis, aut exercendo flagellis, inferas, quàm parcens in meo me torpore securam derelinquas. *Trahe me* quodammodo invitam, ut facias voluntariam: trahe torpentem, ut reddas currentem. Erit quando non indigebo tractore, quoniam voluntariè & cum omni alacritate curremus. *l.*

Quid? sponsáne ergo necesse habet trahi, & hoc post sponsum? quasi verò invita eum & non libens sequatur. Sed non omnis qui trahitur, invitus trahitur; nempe enim infirmum aut debilem (eum scilicet qui per se ire non valet) trahi ad balneum, seu ad pran-

k. August. man. c. 20. *l.* Bern. serm 21. in Cant.

prandium non piget; etsi reum pigeat trahi ad judicium vel ad pœnam. Denique trahi vult quæ & hoc rogat; non autem rogaret, si sequi per seipsam dilectum, prout vellet, valeret, ut quid verò non valet? An infirmam fateamur & sponsam? si qua exadolescentulis infirmam se diceret & peteret trahi, nequaquam miraremur. At verò de sponsa, quæ trahere & alios (utpote fortis & perfecta) posse sufficere videbatur, cui non durum sonet, quod & ipsa trahi tamquam infirma vel debilis necesse habeat? de qua nam animâ jam confidimus, quòd valida sit & sana, si illam infirmam dici consenserimus, quæ pro sui singulari perfectione & excellentiori virtute, sponsa Domini nominatur? Quantævis perfectionis anima, quamdiu quidem gemit sub corpore mortis hujus, & hujus sæculi nequam retinetur inclusa carcere, vincta necessitatibus, torta sceleribus, lentius, segniusquè assurgat necesse est ad contemplanda sublimia; nec omninò liberum habet, sequi spõsum quocunque ierit. Hinc lacrymosa vox illa gementis, *Infelix ego homo, quis me liberabit*

rabit de corpore mortis hujus? hinc ſupplex illa precatio. *Educ de carcere animam meam.* Dicat proinde, dicat cũ gemitu etiam ſponſa. *Trahe me poſt te, quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. m.*

Propterea opus habeo trahi, quoniam refriguit pauliſper in nobis ignis amoris tui, nec valemus à facie frigoris hujus currere modò ſicut heri & nudius tertius. Curremus autem poſtea, cùm reddideris lætitiam ſalutaris tui, cùm redierit melior temperies gratiæ; cùm Sol juſtitiæ iterum incaluerit & pertranſierit tentationis nubes, quæ nunc operire ad horam cernitur, atq; ad levem flatum antę blandioris ſolito, cœperint unguenta aliqueſcere & aromata fluere, & dare odorem ſuum. *Tunc curremus*; in odore illo curremus, ſpirantibus inquã unguentis curremus, quoniam abſcedet torpor qui nunc eſt, & revertetur devotio, & jam non erit opus nobis ut trahamur, quippe odore excitatis, ut ſponte curramus

m. Ibid. initio.

mus. Nunc verò interim *trahe me post te*, non curram ego sola, etsi solam me trahi petierim, current & adolescentulæ mecũ. Curremus pariter, curremus simul; ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo, atque hortatu, ac per hoc omnes *in odore unguentorum tuorum curremus*.

Curremus, curremus, sed *in odore unguẽtorum tuorum*, non in nostrorum fiduciâ meritorum, nec in magnitudine virium nostrarum currere nos confidimus, sed in multitudine miserationum tuarum. Nam etsi quando cucurrimus ac voluntariæ fuimus, *non fuit volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*. Revertatur miseratio, & curremus. Tu quidem in virtute tuâ, *tamquam Gygas* & potens curris; nos, nisi unguenta tua spiraverint, non curremus. Tu, quem Pater *unxit oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, curris in ipsâ unctione; nos in illius odore curremus. Tu in plenitudine, nos in odore.*n*.

Odor super omnia necessarius utpote infirmis

n. Bern. serm. 21. in Cant.

infirmis purgativus, proficientibus confortativus, perfectis, verò sanativus: nonne vides agrum hujus mundi hoc odore plenum; cùm videas alios justitiâ fortes, alios charitate ferventes, alios promptos ad obediendum & humilitatis obsequium, hos lacrymis irriguos, & ad eleemosynas profusos? de odore autem, scriptum est: *Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum.* Et alibi: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* o.

Nec currimus æqualiter omnes in odore omnium unguentorum, sed videas alios vehementiùs studiis flagrare sapientiæ; alios magis ad pœnitentiam, spe indulgentiæ animari, alios ampliùs ad virtutum exercitium, vitæ & conversationis ejus provocari exemplo; alios ad pietatem, passionis memoriâ magis accendi. Currebant in odore sapientiæ, qui missi fuerant à Pharisæis, cum reversi dicerent; *Numquam sic loquutus est homo.* Currebat in hoc ipso odore S. Nicodemus qui *venit ad* Jesum *nocte,*

o. Absalon Abbas serm. 1. de annun. B. Virg. qui est 30.

Ele, in splendore multo sapientiæ. In odore justitiæ, cucurrit Maria Magdalena, cui *dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum.* Cucurrit & Publicanus, qui cùm propitiationem peccatis suis humiliter imploraret *descendit justificatus*, testante ipsâ justitiâ. Cucurrit Petrus, qui lapsus *flevit amare.* Cucurrit David, qui reatum agnoscens & confitens, audire metuit: *Et Dominus transtulit à te peccatum tuum.* Porrò in sanctificationis odore Paulus currere sese testatur, cùm Christi esse se imitatorem gloriatur. Cucurrerunt & omnes qui dixerunt; *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Jam qui in odore cucurrerunt passionis, omnes Martyres accipe. En quatuor unguenta assignata habetis, Primum sapientiæ, secundum justitiæ, tertium sanctificationis, quartum Redemptionis. *p.*

* Adspirat in verbo odor gratiæ & remissio peccatorum, quæ in totum diffusa mundum, omnia tanquam exinanito replevit unguento: quia per universos gravis vitiorum colluvies detersa est. Propterea,

N inquit,

p. Bern. sermone 22. in Canticum.

inquit, *adolescentulæ dilexerunt te.* Propter hanc indulgentiam tuam diligunt te animæ renovatæ Spiritu: & mox:

Ideò festinat anima ad Verbum, & rogat ut attrahatur, ne fortè derelinquatur: quia *currit Dei verbum, & non est alligatum. Denique exultat tanquam Gigas ad currendam viam. Et quia egressus ejus à summo cælo, & occursus ejus usque ad summum ejus* videns se imparem tantæ velocitati, dicit: *Attrahe nos!* Bona anima, quæ non pro se solâ, sed pro omnibus rogat. *Attrahe*, inquit, *nos.* Habemus enim cupiditatem sequendi, quam unguentorum tuorum inspirat gratia: sed quia cursus tuos æquare non possumus, *attrahe nos*, ut auxilio tuo fultæ vestigiis tuis possimus insistere. Si enim tu attraxeris, curremus & nos, & Spiritualia velocitatis flabra cupiemus. Deponitur enim sarcina, quibus manus tua fulcro est, & oleum tuum infunditur, quo curatus est ille, qui à latronibus vulneratus est. *q.*

Attra-

q. Ambrosius de Isaac & animâ cap. 3.

Attrahe me post te, me solam nil scio posse.
Sic unguentorum currens in odore tuorum,
Advoco quos possum, comitatum pergere nostrum.

Meam non intelligo modo, sed & profiteor imbecillitatem, debilitatemquè. Unde suppetiis gratiæ tuæ mihi ut succurras rogo. Quod si factum fuerit, comites quos unquam invenire possum, ad nostrum iter vocabo. *r.*

Miserere Domine, miserere Christe: Diu repugno, diu resisto inimico meo: sed adhuc mihi caro est, in quâ victus Diabolus, tibi triumphum magnum, nobis fidei murum dedit. Miserere Domine, miserere Christe: velle mihi adjacet, mundum & terras linquere, sed imbecilla pluma est, velle sine subsidio tuo: Da Fidei pennas, ut volem sursùm Deo! *s.*

Quando egressi fuerunt populus domus Israël ex Ægypto, majestas Dominatoris seculi erat Dux eorum in columnâ nubis per diem, & in columnâ ignis per noctem.

r. Willeramus Abbas Ebersbergensis in Cant. Canticor. *s.* Marius Victorinus Afer hymno 2.

Dixerunt justi illius generationis: Dominator totius seculi *trahe me post te, & curremus* per viam bonitatis tuæ. *t.*

Duc me, nec sine me, per me, Deus optime, duci:
Me Duce nam pereo, Te Duce salvus ero, *.

Fac me, dulcissime Domine, amare te, & desiderio sui deponere pondus omnium carnalium desideriorum & terrenarum concupiscentiarum gravissimam sarcinam, quæ impugnant & aggravant miseram animam meam, ut *post te*, expeditè *in odorem unguentorum tuorum currens*, usque ad tuę pulcritudinis visionem efficaciter satiandus, quantocyùs te quoque duce, merear pervenire. *u.*

Descendat, Domine, descendat, precor descendat in cor meum odor tui suavissimus, ingrediatur amor tui mellifluus. *x.*

Trahe me, sursum ad te, *ut curram post te in odorem unguentorum tuorum*; curram & non

t. Chaldæus in Paraphrasi h. l. *u.* Aug. medit. c. 35. *x.* Aug. medit. c. 35.



Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, vt inueniam te foris, et deosculer te, et iam me nemo despiciat!

Cantic. 8. v. 1.

24.



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

non deficiam te trahente, te ducente me currentem. *y.*

Tenax enim funiculus amor: amor affectuosè trahit, cui est idipsum alloqui quod est allicere; nihil amoris tenacius vinculo, nihil trahentius. *z.*

y. Aug. medit c 37. *z.* Gilb. in Canticum hom. 19.

IX.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat! *Cant. 8, 1.*

Quis cumulet patrias, tanto mihi stemmate ceras,
Frater ut ad fratres annumerere meos!
Non tamen hoc facio pro stirpis imagine votum;
Nulla mihi augendi sanguinis ambitio est.
Stirpe licet nostrâ sanguis tibi vilior esset,
Optarem fratrem te tamen esse meum.
Non pubente quidem vernantẽ flore juventa,
Prima cui roseas vestiat umbra genas:

Sed puerum, toto qui nondum vixerit anno,
Lactis adhuc mater quem mea pascat ope.
Quiq3, ego quas suxi, parvo trahat ore papillas,
Insideat q3 illos, quos ego sæpè, sinus.
Hoc ego vel simili cupiam te corpore fratrẽ,
Si fueris major, non ego te cupiam.
Quin igitur nostris, mea vita renascere sæclis,
Vt videam cunas pusio parve, tuas?
Et nisi fallor, habent pueri quid amabile mores,
Quoq3 carent juvenes, virq3 senex q3 carent.
Vtq3 suam quævis laudem sibi vendicet ætas,
Ille tamen pueros scilicet ornat amor.
An dubitas, aliàs puerili pusio vultu,
Ipse Deũm domitor, parvulus esset, Amor?
Non nisi quod reliquis, magis hæc sit amabilis ætas,
Nullaq3 sit tantum qua, quod ametur, habet.
Hæc quoq3, cur voveam puerum Te causa coëgit,
Crediderim, puero quod mage posse frui.
Quin igitur nostris, mea vita renascere sæclis
Vt videam cunas parve puelle, tuas?

Tuna

Tum mea, ceu nato, quoties daret ubera Mater
Parve, Tui toties copia prompta foret.
Prompta foret noctuq; , dieq; , domiq; , foriſq; ,
Et ſine ſollicito copia multa metu.
Quin igitur noſtris, mea vita renaſcere ſæ-
Oſculer ut cunas parve puelle tuas. (clis,
Caſta, ſoror parvo quæ porrigit oſcula fratri.
Oſcula deriſor carpere nemo poteſt.
Et licet illa frequens ſpectaverit oſcula teſtis,
Illa tamen teſtis carpere nemo poteſt.
Et licet inceptas ſtiterint hæc oſcula voces,
Semper habent juſtas oſculæ caſta moras.
O bona, quæ noſtris faveant ita Numina votis,
Te q; velint fratrem ſic ſemel eſſe meum!
Naſcere parve puer, fraterque admitte vocari;
Omnia te mundi vota, preceſq; petunt.
Quid præ lætitiâ facerē tibi, parvule frater?
Ah! præ lætitiâ, quid tibi non facerem?
O quoties vetitis furtim deprenderer horis,
Pervigil, ad cunas, nocte ſtetiſſe tuas!
Quot tibi ſervitiis ſoror obſequioſa ſtuderem,
Fortè vel officiis facta moleſta meis.

Nempe dato quoties depelleret ubere mater
Depulsum geminis exciperem manibus;
Aut quoties tepidâ gestare juberet in umbrâ,
Gestarêre ulnis sarcina grata meis:
Aut quoties blando dare languida lumina somno,
Somniferis caneret vox tibi nostra modis.
Ipsaquè, cùm digitos cunis adhiberet agẽdis,
Ilicet hoc à me præriperetur opus.
Mox ubi te nostræ concederet anxia curæ,
Discedensquè, mihi diceret; esto vigil:
Excubiis, sŏli propè Te mihi, parve, relictis.
Quàm facerem votis libera sæpe tuis!
Continuò, tacitè veto de fronte reducto,
Explerem astrictu lumina nostra tuo.
Inquè tuo, fixis hærens obtutibus, ore,
Vterer oblati commoditate loci:
Et citò subjicerem capiti, colloquè sinistram,
Apprimeretquè meo Te mea dextra sinu.
Et tibi, vix tactis furarer basia labris,
Basia sed somno non nocitura tuo.
Quin igitur nostris, mea vita renascere sa-
Vi semel optatas suâvier ore genas?
Mox ubi lactanti sensim tibi cresceret ætas,
Primaquè discenti verba docenda forent;
Disc en-

Discenti cuperẽ fieri tibi, parve, Magistra,
Blæsaquè, truncatis verba præire sonis:
Cumquè geri alterius nolles modò grandior ulnis,
Ausus arundineo currere solus equo,
Instruerem stabili vestigia figere gressu,
Membraquè constanti firma locare pede!
Tumquè molesto aliquod si offenderet obice saxum,
Tutus in extensas exciperêre manus,
Quin tua sæpè velim falli vestigia lapsu,
Lapsus ut amplexu sustineare meo.
Nec tanti pretium peterem mihi grande laboris,
Suaviolo pretium solveris omne tuo.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat! *Cant. 8, 1.*

QVæ amatrix unquam optavit, ut is quem diligit, parvulus efficiatur ejus frater, & in infantem versus sugat ubera matris? *a.*

a. S. Tho. in c. 8. Cant.

* *Quis dabit hoc Frater, ut lactet te mea mater,*
Inventumq; foris, labiis te exosculer illis
Nemoquè me spernat quam dilectam tibi cernat.
Quis dabit optanti faciemquè tuam sitienti
Vt quem nunc novi, mi sponse, parẽ Genitori
Æquævum numen, verũ de lumine lumen;
Te quandoquè meæ naturæ corpus habere
Adspiciens clarè, Fratrem te jure vocare
Credula præsumam: Personam scilicet unam
Carne sub assumptâ sed non Deitate minutâ.
Inventoque foris temet VERbo Genitoris,
Ad faciem facie, satier, cui nunc ut amice
Ore Prophetarum mittis sponsalia tantum.
Me quoque non ultra despectio terreat ulla,
Sed quod spero magis, Judææ finibus arctis,
Quæ conclusa fui, fiam venerabilis orbi,
Et tuâ mox per me sõet omni gloria terræ. b.*

Ergo antiquorum vox est ista justorum, qui Dominum salvatorem, quem in divinitate Patri & Spiritui sancto consubstantialem credebant, ac debitis venerabantur obsequiis in hominis quoq; habitu & homi-

b. Willeramus Abbas in Cant. h. l.

minibus consubstantialem videre cupiebant. Intus quippe erat dilectus, quia *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*; sed ut foris quoque posset inveniri, *verbum caro factū est, & habitavit in nobis*; viderunt namque Patriarchæ, viderunt Prophetæ Dominū, sed intus, id est, in contemplatione mentis spiritali, non in oculi carnalis intuitu. Viderunt eum, sed in imagine, sed in Angelicæ forma substantiæ; at ipsam ejus naturam, nequaquam videre valebant. Deniq; legifer ipse, qui audire meruit, *ostendam omne bonum*; rursum audivit: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit faciem homo, & vivet*: felices; qui inter se cōferre meruerunt: *Invenimus Messiam qui dicitur* Christus. Hoc est namque oscu-lum, id est amantissimum illud oris illius donum, ac mutuæ commercium allocutionis. *c.*

[Sed &] ingens in his suum, pia anima, exprimit desiderium; quo eâ ratione per amorem, Deo uniri peroptat, ut nedum in

c. Beda c. 7. in Cant.

secreto contemplationis, verùm etiam foris & coram proximis, in vitâ activâ eidem inhærere sibi liceat, ita ut omnibus ædificationi sit, nec quorumcunque mundanorum hominum vereatur contemptum: æquè enim est ac si dicat: O utinam, tanto mihi astringereris amoris vinculo, Deus meus, quanto adstringuntur frater atque soror! ô utinam tam tenerè te diligerem, quàm tenerè à sorore diligitur frater parvulus, sugens ubera matris suę! ita ut etiam palam & coram fratribus, dum proximorum indulgeo utilitati, deosculer te osculo charitatis; ita ut non pudeat ante omnes, te confiteri, tibiquè obsequi, oratione ac bonis operibus. Quis mihi det ut jam nedum te timeam ut Deum zelotem, Dominum exercituum, ignem comburentem, & quicquid tale nominari voluisti, quo mihi tui incuteres pavorem; sed ut etiam diligam tamquam fratrem meum, & talem fratrem, qui ob infantiam nihil incutiens metus, vel lapidea ad amorem pertrahas corda! d.

Tu qui modò es in sinu Patris, quis det, ut

d. Mich. Gisler. cap. 8. Cant. expos. 3.

ut homo efficiaris & particeps ac consors naturæ nostræ existens, frater meus appelleris? ut hominem factum in aperto videam, *& deosculer te*, id est, apertâ visione te aspiciam, quem nunc totum in fide teneo! *e*.

Cùm magnus & excelsus esses, bonorum meorum non indigebas; utinam detur mihi ut propter magnam charitatem tuam, factus frater meus ex Virgine, lacte indigeas, quo sustenteris; sic enim confido, aliquâ ex parte amorem meum, me tibi exhibituram. Priùs te invenire nequibam, unde & querebat; deploransq; cum Prophetâ, dicebam; *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* At nunc audiens Angelum ad pastores dicentem: *Invenietis infantem positum in præsepio*; confido sanè me quoq; inventuram te foris; extra incõprehensibilem majestatem illam, quâ intra temetipsum ab æterno latebas; quærebam te jam in hoc mundo, & in creaturis: *In lectulo*, namquè mentis meæ, *quæsivi te, quẽ*

e. S. Tho. in c. 8. Cant.

diligit anima mea : quæsivi, & non inveni; surrexi, & circuivi civitatem præsentis mundi : per *vicos & plateas* creaturarum, *quæsivi te, & non inveni*. At modò te inter creaturas, *parvulum fratrem meum*, ex uberibus Virginis Matris tuæ, simul ac meæ, pendentem inveniens, haud continere me potero, quin totâ in tuâ prorumpam oscula, quin tota tibi per dilectionem uniar; & *jam me nemo despiciat*, quod adorem, quem nesciam; quod osculer, quem non videam; quod illi offeram preces, qui nostra non curet; quòdve illi obsequia exhibeam, ad quem accedere minimè liceat. Deosculans profectò te, in primo conceptionis instanti, *unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*; osculis meis, ita te meum adorabo fratrem, ut iisdem te quoq; meum profitear Regem dilectissimum: eo modo quo & Samuelem Saul in Regem unctum, osculo adorasse, lego in libr. Reg. Tibique ut Regi morem geram in omnibus, id quod & iisdem contestabor osculis meis, quæ tuo imprimam ori, sicut antiquo illi Joseph, per Ægyptiaci populi osculi signum, totius Ægypti obedientiam promissam lego à Pha-

raone, cùm ei dixit: *Et ad os tuum cunctus populus deosculabitur. f.*

Ignoravi, quòd tam suavis, ô bone Jesu, esset tuus amplexus, tam honestus attactus tuus, tam delicioſus convictus tuus! Cùm enim te amavero, munda sum, cùm tetigero casta sum, cùm accepero, virgo sum. Tuus, ô dulcissime Jesu, amplexus non maculat, sed mundat; tuus attactus, non inquinat, sed sanctificat. Ô Jesu fons universæ & dulcedinis & suavitatis, ignosce mihi, quod tam serò credidi quantum habet deliciositatis, quantum honestatis, quantum jucunditatis, quando *læva* tuæ æternæ sapientiæ & cognitionis, est *sub capite meo*, id est ratione, & *dextera* tuæ Divinæ clementiæ & dilectionis *amplexabitur me*, id est voluntatem. Heu me miseram! quid umquam tam dulce, tam suave, tam deliciosum & salutiferum potest experiri, quàm inter brachia tanti Sponsi quiescere, inter oscula tanti Regis & amico tam fideliter obdormire? hanc dulcedinem senserat anima devota, quãdo optabat dicẽs: *Osculetur me osculo oris sui.* Nũquid has delicias anima de-

f. Gisler. c. 8. Cant. expos. 2.

vota erat experta, quando orabat ardens & jam penè deficiens præ dilecti sui concupiscentiâ, dicens, in Canticis: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, & deosculer te?* Quis enarrare sufficeret, nisi qui mente gustasset, quantum habet hoc verbum dulcedinis & devotionis, quando bene ponderatur & rectè cibatur devotâ mente? sed ô Domine Deus, si hæc tam dulcia sunt cogitanti, quàm dulcia esse possunt degustanti? si tam suavia sunt legenti, quàm consolatoria erunt per affectum sentienti? *g.*

g. Bonavent. soliloquiis c. 1.

X.

In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea; quæsivi illum, & non inveni. *Cant.* 3, 1.

Casta canunt nostræ suspiria, votaq; Musæ,
Nullaq; de thalamis vox, Hymenæe tuis.
Ut sua corporibus, sic mentibus est quoque flamma,
Et propè deterior corpora flamma coquit.



In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum et non inueni!
Cantic. 3. v. 1. 25.



BIBLIOTECA
ESCOLINES

Intus, in accensis qui mentibus æstuat ignis,
Delicias liquidi solus amoris habet.
O quanto his, Animæ, facibus melioribus ardent!
Oscula quam certâ dantq́ ferunt q́ fide!
Quàm placidis castas complexibus itur in ulnas,
Quàm sanctæ sociant mutua vincla manus!
Et suus hic etiam torus est genialis amori,
Quæq́ maritali fœdera nexa face;
Casta Cupidineæ sed fœdera nescia tedæ,
Nec, nisi quem cupiat Vesta subire torus.
Sedneq́ cycnæis hic turget culcita plumis,
Fartaq́ Amyclæo vellere fulcra tument.
Quo duo tam casti thalamo sociantur amantes
Lectus olorinas non habet ille nives.
Lectulus auspiciis tantorum stratus amorũ
Mens est lætitiæ pace quieta suæ.
Lectule, pax animæ; cœlestis lectule tedæ;
Pronube sidereis lectule caste toris!
Tu Sponsi atq́ Animæ thalamus secretus amantum,
Solus es ò tantas dignus habere faces!

Hoc

Hoc ego cõsuevi, meditans, traducere noctes,
Cum requiem pulsõ cura sopore negat.
Hoc meus ille; meos rapuit qui primus amores,
Est solitus vigili secubuisse toro.
Et mihi tunc imas urit fax Dia medullas,
Inq; vicem flammis uritur ille meis.
Tunc desideriis querimur sine voce loquentes,
Mutaq; plus verbis lacryma vocis habet.
At nova quæ subiti sit, nescio cauſſa receſſus;
Subvereor, vitio sit data cauſſa meo.
Nam mihi jam ſpatio plus visus abesse diurno,
Et secus atque ſolet nocte fuisse foris.
Haccine ſigna forent mutati forſan amoris?
Aut illum melior lectulus alter habet:
Hei mihi quàm miseris ea nox fuit acta querelis,
Quæ ſine te, viduâ nox fuit acta domo!
Iam propè conſtiterat medio vaga Cynthia cœlo,
Altaq; ſopierat lumina laſſa quies;
Cùm mihi viſa tori pulsâ vox dicere ſpondâ;
Surge parat thalamo Sponſus abire tuus.

Suſci-

Suscitor, & piceos oculis detergeo somnos,
Impositum cubito sustineoq́, caput:
Et desolatas implens ululatibus ædes
Sollicitâ, dormis lux mea? voce rogo.
Hei mihi! responsum nullum dedit ille roganti,
Fugerat è thalamis transfuga nempe meis.
Protinus accenso reperi vestigia lychno
Quæ cuperem numquam visa fuisse mihi.
Dic meo, exclamo, quò fugit, lectule, Sponso?
Perfide dic meus heu! lectule, Sponsus ubi est?
Et vagor, & toto velut amens erro cubili,
Vt tua te viduâ luxit Alexi, domo.
Quos ego tunc animo sensi effervere tumultus,
Cygnæus fuerat Pax cui fida torus!
Quæ mentem subitò insanæ vertêre procellæ,
Insolitam dubiis pandere lina Notis!
Quàm sterili jacuit damnatũ pectus arenâ,
Diacui athereis vena scatebat aquis!
Iam gravidos labor est oculos attollere cœlo,
Oraq́, divinâ solvere laude, labor.
Iãneq́, sacra valẽt prisca in certamina vires,
Quæ modò lusus erant prælia facta dolor.

Sci-

Scilicet optatâ dum felix uterer aurâ,
Aurea mollicului Pax mihi lectus erat.
Tunc ut inexpertis Tiro temerarius armis,
(Omnia qui linguâ prælia victor agit)
Optabam rabidis caput objectare Tyrannis,
Aut animam pulcrâ fundere posse nece.
Tunc & Apolloniæ mihi credita flamma, rosetum;
Tunc rota Cosliadæ Virginis, esse trochus:
Visaq; sunt Agathæ gemini duo vulnera, torques,
Blandaq; Blandinæ, Taure putatus ovis:
Deniq; barbarici lanienæ infanda macelli,
Totaq; carnificum visa theatra, jocus.
Nempe erat in calidis tam fervida flammæ medullis,
Aurea cùm placidus Pax mihi lectus erat.
At simul ac Sponsæ calor hic abeunte recessit;
Frigidior Scythico mens mihi facta gelu est.
Sic nova quas Zephyris spirantibus educat æstas,
Decoquit immeritas una pruina rosas.
Lampada sic tenui Pallas quam nutrit olivo,
Extinguit tremuli bucca soluta Noti.

Alo

Ah malè, te placido quæsivi Sponse cubili;
Qui Crucis in thalamo repperiendus eras!
Pax *mihi* lectus *erat*, *Tibi* Crux *erat aspera* lectus.
Hoc debueram, quærere Sponse, toro.
Lux mea, jam quota Te, quærendo perdita nox est!
Sed quæsivi, ubi non inveniendus eras.

In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi illum, & non inveni. *Cant.* 3, 1.

NOn est reversus Sponsus ad vocem & votum revocantis. Quare? ut desiderium crescat, ut probetur affectus, ut exerceatur amoris negotium. Sanè ergo dissimulatio est, non indignatio, superest ut quæratur si fortè reperiatur quæsitus, qui vocatus non venit; dicente Domino, *Omnis qui quærit, invenit*. & primo quidem quærit illum in lectulo, sed minimè invenit; neq; unius noctis quæsitio hæc & frustratio, cùm dicat ista: quia *quæsivi per noctes.h.* Legi

h. Bern. serm. 75. in Cantic.

Legimus Psalmo 76. Piam quandam animam exquisisse Deum nocte, exquisisse verò manibus ac vocibus; illiusquè inquisitionem haud quaquam spe frustratam: sic namque illa, id quod sibi contingit testatum omnibus volens ait: *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis, nocte contra eum, & non fum deceptus*; at verò in hac sententiâ (*in lectulo meo per noctes quæsivi*) Anima pia Deum ipso noctu quæsisse se aserit, idq; frequenter, per multas scilicet noctes; nullatenus tamen illum vel post diutinas inquisitiones reperisse. *i.*

Quid est quod non invenitur quæsitus, cùm requiratur tam studiosè & impigrè, ipse autem dicat: *Quærite & invenietis: & qui quærit, invenit.* quomodo ergo implebuntur Scripturæ? neque enim quæ hîc inducitur quærens, una est ex his quibus ipse ait: *Quæretis me, & non invenietis.* *k.*

Ob istiusmodi diversitatem non modicùm primo aspectu offensus est animus, multoquè magis offendebat; quia rationi ma-

i. Gisler in Cant. c 3. expos. 3. *k.* Bern. serm. 75. in Cant.

magis consonum mihi videretur, ut Deus ab illa citiùs inveniri se sineret, illiusquè vocibus potiùs intenderet, quæ majori erga ipsum flagraret caritate; qualem absque dubio Sponsam censebam. *l.*

Verùm attentiùs utriusque animæ perpendens verba; percepi statim rationem diversitatis prædictæ. Intellexi quid caussæ fuerit, cur Anima loquens in Psalmo, Deum repererit; Sponsa autem neutiquam eumdem invenerit; quia nimirum ista, & si manibus Deum quæsivit, & vocibus; in lectulo tamen & lectulo suo singulari quietem agens & manibus palpans eum quæsivit, qui ibi haud quaquam esset. Illa autem de tribulationibus ad eum clamavit, qui ait: *De quacumq; tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos.* Sicq; facili negotio, non solùm invenit, sed & apprehendit eum, qui dixit: *Cum ipso sum in tribulatione; in die tribulationis*, inquit, *Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum, & non sum decepta. m.*

Attendite [ergo] tres esse caussas, quæ inte-

l. Gisler. in c. 3. in Cant. expos. 3. *m.* ibidem.

interim occurrunt, & quærentes frustrari solent, cùm aut videlicet: *Non in tempore quærunt, aut non sicut oportet, aut non ubi oportet.* Si enim omne tempus aptum est ad quærendum, cur ergo dicat Propheta: *Quærite dum inveniri potest*: erit absq; dubio cùm inveniri non poterit, & hæc una causa quæ impediri potest, ne inveniatur sponsus à quærentibus se, cùm non quærunt in tempore opportuno. At non ea causa impedit sponsam, nempe invocantem & quærentem in tempore opportuno. Sed ne illa quidem cum tepidè aut negligenter seu perfunctoriè quærit; nam corde ardenti & omninò infatigabiliter, quærit planè ut decet. Restat ut de tertiâ videamus, ne videlicet, ubi non decet quærat. *In lectulo meo quæsivi per noctes quem diligit anima mea.* An fortè non *in lectulo*, quærendus erat, sed *in lecto*: quippe cui orbis angustus est? sed non horreo lectulum, qui novi parvulum. An non lectulus, tumulus? an non lectulus, præsepium? an non lectulus, uterus Virginis? neque enim magni Patris uterus, lectulus est, sed lectus magnus

magnus, de quo ad filium: *Ex utero*, inquit, *ante luciferum genuite*. Quamquam nec lectus quidem forsitan dignè censendus sit uterus ille, qui Regentis potiùs quàm jacentis est locus. Meritò proinde Sponsa, ponens lectulum, dicit; *Suum*. [Sed] quid in tuo quærebas, qui se jam in sua receperat? non videras filium hominis ascendentem ubi erat priùs? Jam cœlum tumulo cõmutavit, & tu illum, in tuo adhuc lectulo quæris? *Surrexit, & non est hîc*. Quid, quæris, in lecto, fortem? in lectulo, magnum? in stabulo, clarificatum? Introivit in potentias Domini, *decorem induit & fortitudinẽ*, & ecce sedet super Cherubim, qui sub lapide jacuit. Ex hoc, jam non jacet, sed sedet, & tu tamquam jacenti subsidia paras; sive ut absolutior veritas sit, aut sedet judicans, aut stat adjuvans. Ex tunc ergo & deinceps frustrà in lectulo quæsitus est sponsus: pulcrè verò sponsa, non quem diligo ego, sed *quem diligit anima mea*, inquit, quod verè, & propriè ad solam pertineat animam illa dilectio, quâ aliquid spititualiter diligit. Nam cùm secundùm carnem quippiam di-

ligit vel potiùs appetit anima, carnis potiùs quàm animæ amor dicendus est. Et benè *per noctes se* quæsisse eum ait, nam non absurdè dici potest, quod qui ignorant, nocte ignorant; ac per hoc qui quærunt nocte quærunt. Quis enim quærit quod palàm habet? Nox est itaq; donec quæritur sponsus, quoniam si dies esset de medio fieret, & minimè quæreretur, sed dicet aliquis: quod non sit tam stulta tamque cæca sponsa, ut quærat lumen in tenebris, quærat Dilectum apud ignorantes, & qui non diligunt eum. Quasi verò se per noctes nunc quærere dicat, & non potiùs quæsisse? Non ait, Quæro, sed quæsivi, *per noctes quem diligit anima mea.* Et est sensus, quia cùm esset pervula, sapiebat ut parvula, cogitabat ut parvula, & quærebat veritatem ubi non erat, errans & non inveniens, juxta illud in Psalmo. *Erravi sicut ovis quæ perit.n.*

Quod si quis contendat sponsam ipsam hîc ea referre, quæ sibi tunc temporis evenêre, cùm toto corde viribusque omnibus, ar-

n- Bernard. serm. 75. in Cantic.

ardentissimo amore Deum dilectum suum prosequeretur; Dicendum; nomine *lecti*, non quamlibet hîc significari *quietem*, sed illam dumtaxat, *quâ anima sancta quiescit in pace interiore*, quam *pacem* & Isaias, *lecti & cubilis* nomine insignivit, cùm de justo loquens dixit: *Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione suâ.* o.

Dilectum [enim] *in lectulo quærimus*, quando in præsentis vitæ aliquantulâ redemptoris nostri desiderio suspiramus. *Per noctem quærimus*; quia etsi jam in illo mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat. p.

Sed ingens ilico hîc insurgit difficultas, quâ ratione anima sancta in ejuscemodi lectulo Deum quæsisse se asserat, & non invenisse? cùm alibi fateatur, in eo ipso lectulo, se unâ cum illo, quietissimè dormiturâ, dicens: *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Cumquè exploratum omnibus sit; *In pace factum esse locum ipsius Dei.* Si ergo in pace commoratur Deus: si in pacis

o Gisler. in c. 3. Cant. expos. 3. p. Greg. ho. 19. in Ezc. & 25. in Evang.

lectulo, cum eo pacifica dormit anima: quomodo sponsa, ibi se eum invenisse negat, ubi jam præsens is adest? Ad hæc breviter respondendum: adesse quidem Deum, & ut proprio requiescere loco, in interiore pace. verumtamen, admirabili providentiâ, elongari nonnumquam, vel abscondi ab ipsâ animâ, cum quâ *lectulum habet communem* sinens eam esse *aridam*, & quodammodo dulci destitutam complexu. *q.*

Sunt [enim] qui in studiis spiritualibus fatigati, & versi in teporem, atque in defectu quodam spiritus positi ambulant tristes vias Domini corde arente & tædente, longos dies, longas conqueruntur & noctes loquentes cum S. Job: *Si dormiero dicam: quando consurgam? & rursum exspectabo vesperam.* An tibi aliud, vel pati, vel petere ille videtur, qui ait: *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* *r.*

Porrò id ob triplicem [accidit] rationem:

q. Gisler. in c. 3. Cant. Expos. 3. *r.* Bern. serm. 32. in Cant.

nem: Primò ut hâc suâ tantilla elongatione, ad majorem perfectionem eam provehat. Secundò ut jucundior postea sit ejus reditus vel ejus inventio. Denique quemadmodum chorda, quò magis ab arcu recedit, eò majore impetu ad ipsum accedit, majoremq; exhibet vim sagittæ, quæ per arcum jacitur; ita quò magis Deus videtur se ab anima amovere, eo ardentiori benevolentiâ, in eandem sese postea insinuat. At, si ob allatas rationes ab illâ se abscondit, cur non inveniri se sinit ab eâ, quæ tanto studio ibi ipsum quæsivit, ubi quæri is velit? *Quæsivi illum?* inquit, *& non inveni*; ut videlicet ejus perseverantiæ periculum faceret, utque experiretur, quò ea tenderet, cùm aliquando ab internæ pacis lectulo surgeret. *s.*

Abscondit se [ergo] Sponsus cùm quæritur, ut non inventus ardentiùs quæratur; & differtur quærens Sponsa ne inveniat, ut tarditate suâ capacior reddita, multiplicius quandoq; inveniat, quod quærebat. *t.*

s. Gisler. in c. 3. Cantic. Expos. 3. *t.* Greg. lib. 5. mor. c. 4.

* Sæpenumero piorum animas exercens Deus universorum, permittit eas in varias tentationes incidere. Et flagitantibus ut liberentur, modò affert modò differt auxilium, utilitatem dilectis, suis undiq; comparans. *u.*

Multi sunt qui in otio quærunt Christũ, & non inveniunt, & quærunt eum in persecutionibus, & citò inveniunt. *x.*

Prius non inveniendus quæritur, ut post inventus strictius teneatur. Sancta enim desideria dilatione crescunt. *y.*

Bonus es, Domine, quærenti te, quid ergò invenienti? sed enim hoc in mirum, quod nemo te quærere valet, nisi qui prius invenerit. Vis igitur inveniri, ut quæraris; quæri ut inveniaris. *z.*

Ergò & inventus quærendus est. Jam quippè illum invenit fides, sed adhuc eum quærit spes. Charitas autem & invenit eum per fidem, & quærit eum habere per speciem

u. Theodoretus in Cant. h. l. *x.* Ambrosius de Isaac cap. 5. *y.* Gregorius Magn. hom. 25. in Evang. *z.* Bernhardus de Dilig. Deo.

ciem: ubi tunc sic invenietur, ut sufficiat nobis, & ulteriùs non quæratur. *a.* *

[Sed] Domine, si non es hîc, ubi te quæram absentem? si ubique es, cur non video te præsentem? sed certè habitas lucem inaccessibilem. Et ubi est lux inaccessibilis, aut quomodo accedam ad lucem inaccessibilem? aut quis me ducet, aut inducet in illam ut videam te in illâ? accedere ad te desiderat servus tuus, & inaccessibilis est habitatio tua. Invenire te cupit, & nescit locum tuum. Obsecro Domine, doce me quærere te, & ostende te quærenti; quia nec quærere te possum nisi tu doceas, nec invenire nisi te ostendas: quæram te desiderando, desiderem quærendo, inveniam amando, amen inveniendo. *b.*

a. Augustin. in Psalm. 104. *b.* Ansel. in protolog. cap. 1.

XI.

Surgam, & circumibo civitatem; per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea; quæsivi illum, & non inveni. *Cant.* 3, 2.

Tandem, serò licet, meus est mihi cognitus error:
Si bene quæsissem, Sponse, repertus eras.
Credideram placido somnos te carpere lecto,
Commodus, at video, non fuit ille torus.
Quid faciam cœptæ pergam dare membra quieti,
Et sine te somnus lumina nostra teget!
Ah, sine te, nequeam solito dare membra sopori,
Aut nullâ, sine te, Sponse, quiete, frui!
Non si somniferis invitet lympha susurris,
Lympha cavernoso præcipitata jugo;
Aut nemorum blandis agitata cacumina ventis,
Multaq; quæ sylvis garrula cantat avis:
Aut Heliconiadum, Parnassia turba, Dearum,
Aut pater auratæ Delius ipse lyræ.
Nec tua discutiant mihi, Somne, papaveraq; curas,
Humida nec virgâ tempora tacta tuâ.
Noxia nec vigilem quæ sopiit herba Draconem,
Fistula quæq; oculos condidit, Arge, tuos.

Vix



Surgam et circuibo ciuitatem; per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum et non inueni. Cantic. 3. v. 2. 26.



BIBLIOTEKA

Vix ubi composui luctantia lumina somno,
Rumpitur indomito cœpta dolore quies.
Et nullam accipiunt oculiq; aut pectora noctem. (cem!
Quin mihi, nox etiam creditur una, de-
Fingit & assiduè de te, mihi somnia Morpheus,
Nec fugis ex oculis flebilis umbra meis.
Cur toties igitur somni mihi nocte petuntur,
Si mihi nulla venit, nocte, petita quies?
Eripiar stratis, mediamq; vagata per urbẽ,
Quò sors aut ratio me volet ire, ferar.
Et circumspiciens, nûm fortè quis anguius abdat,
Quaram quem propriâ diligo plus animâ.
Quaram porticibus, quaram stabulisq; casisq;
Perq; semel tritas ibo, redibo, vias.
Nec malè perspectæ fallet specus ulla latebræ,
Nec quem transiero, circulus ullus erit.
Qualis odoracanis vestigia pressa ferarum
Mersânare legens, lustra, rubosq; subit:
Aut qualis siculas Ops errabunda per urbes,
Aspicit an flores perdita Nata legat,
Kuraq; piniferis vestigans avia tedis
Persephonen stygios optat adire vadis.

Aut potiùs Solymis qualis vaga Magdala campis
(Cùm flebat Domini marmor inane sui)
Saxa per alta rudes q3 ruit furiata per agros
Qua dolor ancipitem quà rapiebat amor.
Omnibus una locis aderat, comes omnibus una,
Vna super Domini funere multa rogans.
Attica sic viduo volucris gemit anxia nido,
Luctisoni q3 nemus personat omne modis:
Et circum, supra q2 volans, nunc ardua summo
Vertice, nunc imâ pendula fronde sedet;
Et raptam sobolem, raptoris & aucupis artes
Heu! consanguineo nunciat orba gregi.
Haud aliter cunctis lustravi compita vicis,
Non tamen est ullo præda reperta loco.
Infames vici, loca detestanda plateæ,
Decepto toties compita trita pede!
Amissum in thalamis, foris hîc reperire putabam,
Sed malè quæsitus, perditus usq3 latet.

Sur-

Surgam, & circumibo civitatem; per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. *Cant. 3, 2.*

Effundite lacrymas oculi mei, plorate, & nolite deficere. Ambulate pedes mei, discurrite, & nolite quiescere. Heu! heu! quò abiit gaudium meum, ubi latet amor meus? ubi est dulcedo mea? cur dereliquisti me, salus mea? O dolores! ô angustiæ! Intolerabiles angustiæ sunt mihi undique, & quid eligam, ignoro. Quò me vertam? ad quem ibo? à quo consilium petam? quem pereunctabor? quis mei miserebitur? quis me consolabitur? quis indicabit mihi quem diligit anima mea? Revertere, dilecte mi! revertere, dilecte votorũ meorum! ô amabilis! ô desiderabilis! redde mihi lætitiam salutaris præsentiæ tuæ. *c.*

Heu me! ubi eum quæram, ubi eum inveniam? surgam certè, & circuibò omnia loca quæ potero; non dabo somnum oculis

O 6

c. Orig. homil. 10. in diver.

lis meis, non dabo requiem pedibus meis, donec inveniam illum, quem diligit anima mea. *d*.

Sedens in lectulo, quæsivi, cùm adhuc infirma & invalida forem, & omninò minùs idonea sequi Sponsum quocumque ierit; sequi ad ardua & excelsa sublimitatis illius. Incidi in multos, qui cognoscentes desiderium meum, dicebant mihi: *Ecce hîc est* Christus, *ecce illic est*; & neq; hîc, neque illic erat; & dixi, *Surgam, & circuibo civitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea.* Intuere vel nunc quia jacet, quæ dicit *surgam*. *e*.

Adhuc ut parvula sapit; per vicos & plateas, quærendum putavit, fruendi avida, sed ignara mysterii iterum ergo frustrata repetit dicens: *Quæsivi eum, & non inveni.* Non est, ut ista suspicata est, in plateis, aut vicis; nisi fortè in illis, de quibus dicitur: *Plateæ tuæ, Hierusalem, sternentur auro mundo, & per omnes vicos tuos alleluja cantabitur*. *f*.

Anima [enim] quæ amat, adscendit frequenter, & currit familiariter per plateas cœ-

d. Or. ib. *e*. Bern. ser. 7. in Cant. *f*. Bern. ser. 76. in Cant.

cœlestis Hierusalem, visitando Patriarchas & Prophetas, salutando Apostolos, admirando exercitus Martyrum, & Confessorum, choroſque Virginum speculando. g.

Ibi, ibi illum, qui quæret, inveniet, & videbit gloriam ejus, non gloriam quasi unius ceterorum, sed planè gloriam, quasi unigeniti à Patre. quid facies, ô Sponsa! putas, potes sequi eum illic? aut te ingerere audes, vel vales huic tam sancto arcano, tamq; arcano sanctuario, ut filium in patre, & patrem intuearis in filio? non utique; ubi est ille tu non potes venire modò; venies autem postea: Age tamen, sequere; quære, nec te inaccessibilis claritas, vel sublimitas à quærendo deterreat, ab inveniendo desperare faciat. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Propè est, inquit, verbum in ore tuo, & in corde tuo. Crede & inveniſti, nam credere, invenisse est. Norunt fideles, habitare Christum, per fidem, in cordibus suis. Quid propius est? Quære ergo secura, quære devota, bonus est Dominus animæ quærenti se. Quære votis, se-

g. Aug. manu cap. 24.

querere actibus, fide inveni; quid non invenit fides? attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehẽdit novissima; ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumducit, fidenter dixerim: æternam, beatamq́; Trinitatem, quam non intelligo, credo, & fide teneo, quod non capio mente. *h.*

Quid hoc desiderii est & ardoris, ut surgens de nocte publicum non erubescat? percurrat civitatem? percunctetur palam & passim de dilecto, atque à vestigandis semitis ejus nullâ valeat ratione averti? nullâ præpediri difficultate, non tempestivæ retineri amore quietis, non Sponsæ verecundiâ, non vel timore nocturno? Et tamen in his omnibus frustrata est usq́ue adhuc à desiderio suo. Quare? quid sibi vult pertinax hæc & diuturna fraudatio, tædiorum nutrix, suspicionum fomes, impatientiæ fax, noverca amoris, mater desperationis? si adhuc dissimulatio est, nimis est molesta. Esto, quod piè, utiliterquè interim fue-

h. Bern. serm. 76. in Cant.

fuerit dissimulatum, donec in solâ adhuc vocatione, seu revocatione res erat: nunc verò cùm requiritur, & ita requiritur, quid jam conferre poterit dissimulatio? si de carnalibus sponsis, & pudendis amoribus quæstio est, sicut litteralis superficies prælusisse videtur, & si inter illos talia contingere queant, mea non interest, ipsi viderint. *i.*

Nolo te sponsum quærere per plateas, nolo te circumire angulos civitatis, dicas, licet: *Surgam & circuibo civitatẽ, & in foro, & in plateis quæram, quẽ dilexit anima mea;* & interroges; *Num, quẽ dilexit anima mea, vidistis?* nemo tibi respondere dignabitur: sponsus in plateis non potest inveniri. Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam, zelotypus est Jesus, non vult videri faciem tuam: foris vagentur virgines stultæ, tu intrinsecus esto cum sponso. *k.*

Nõ in foro, nõ in plateis Christus reperitur; nõ est Christus circumforaneus; Christus enim pax; in foro, lites: Christus justitia est; in foro iniquitas: Christus operator est

i. Bern. serm. 75. in Cant. *k.* Hieron. epist. 22. ad Eustoc.

est; in foro inane otium: Christus charitas est, in foro obtrectatio; Christus fides est, in foro fraus atque perfidia. fugiamus ergo forum, fugiamus plateas. Nec illa eum in foro & in plateis potuit reperire, quæ dixit: *Exurgam, ibo & circuibo in civitate, in foro, & in plateis, & quæram quem diligit anima mea; quæsivi eum, & non inveni eum.* Nequaquam igitur ibi quæramus Christū, ubi invenire non possimus. *l.*

Non pedum passibus, sed desideriis quæritur Deus; & ubique non extundit desiderium sanctum, felix inventio, sed extendit. Numquid consummatio gaudii, desiderii consumptio est? oleum magis est illi, nam ipsum flamma. Sic est; adimplebitur lætitia, sed desiderii non erit finis; ac per hoc, nec quærendi: quid ni animer ad quærendum, experta clementiam „ & persuasa de pace? *m.*

Attendite vehementiam & vim amoris. Nec abesse dilectum sustinet, nec sufficit præsenti; ibi, vota anhelata laborant; hîc ex-

l. Ambr. lib. de virgin. *m.* Bern. serm. 84. in Cant.

exhausta relinqui patiuntur. O felix amor, qui continuâ quâdam vicissitudine, aut liquescit in ipso, aut quærens, anhelat ad ipsum! *quæsivi & non inveni. n.*

Ego erravi, sicut ovis quæ perierat, quærens te exterius, qui es interius; & multùm laboravi quærens te extra me, & tu habitas in me, si tamen ego desiderem te. *Circuivi vicos & plateas civitatis* hujus mundi quærens te, *& non inveni*, quia malè quærebam foris, quod erat intus. Misi nuncios meos, omnes sensus exteriores, ut quærerem te; *& non inveni*, quia malè quærebam. Video enim, lux mea, Deus, qui illuminasti me, quia malè te per illos quærebam, quia tu es intus, & tamen ipsi, ubi intraveris, nescierunt. Serò te amavi pulcritudo tam antiqua & tam nova, serò te amavi; & tu intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa quæ fecisti, ego deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ esse non poterant, nisi in te. *Circuibam* enim omnia, quærens te, & propter omnia derelinquens me.

n. Guilib. Abb. serm 45. in Cant.

me. Interrogavi terram, si esset Deus meus, & dixit mihi, quod non; & omnia quæ in ea sunt, hoc idem confessa sunt. Interrogavi mare & abyssos & reptilia quæ in eis sunt, & responderunt, non sumus Deus tuus: quære super nos eum. Interrogavi flabilem aërem, & inquit universus aër, cum omnibus incolis suis: fallitur Anaximenes, non sum ego Deus tuus. Interrogavi Cœlum, Solem, Lunam, & Stellas; neque nos sumus Deus tuus, inquiunt. Interrogavi deinde mundi molem, Dic mihi, si es Deus meus, an non? & respondit voce forti: Non sum, inquit, ego, sed per ipsum sum ego; quem quæris in me, ipse fecit me; supra me quære eum qui regit me, qui fecit me. *o*.

* A præteritis vitæ meæ actionibus surgam, à malorum consuetudine discedam, discutiam conscientiam meam, & examinabo diligenter per circuitum actiones vitæ meæ, recogitabo annos vitæ transactæ, studiosè quæram in civitate, hoc est, in Ecclesiâ, in Scripturis sanctis, in Sanctorum vitis & exemplis, quomodo ad Deum rectè ambulare

o, Aug. soliloquiis c. 31.



Num, quem diligit anima mea vidistis? Paullulum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.

Cantic. 3. v. 4.

BIBLIOTECA
ESCUELA NAVAL

bulare debeam, & quomodo hue usquè vixerim & ambulârim: per latas enim & apertas peccatorum vias incessi, communes mores & consuetudines aliorum imitata sum. Ob id per fora & plateas dicit se disquisituram, &c. *p.* *.

p. Philo Carpathius in Cant. h. l.

XII.

Num quem diligit anima mea vidistis? Paullulùm cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea; Tenui eum, nec dimittam. *Cant.* 3, 3, 4.

Restat adhuc totâ locus ullus omissus in urbe?
Autregio nostro non peragrata pede?
Flammiferis cunctæ facibus luxêre platea,
Nullaq; vel minimæ compita spreta viæ.
Hei mihi! quos vicos, quæ non loca tristis obivi?
Urbs etiam in tantâ defuit urbe mihi.
Sed quid in hos frustrà juvat incubuisse labores,
Si Sponsum semper quæro, nec invenio?

Ergo

Ergo domum lacrymans, vestigia retrò ferebam,
Quiq́ rogaretur, nemo viator erat.
Cùm propter portas à mœnibus aufero gressum,
Pervigil ad portas occupat ecce cohors.
Ac prior, hîc, dixi, quem diligo fortè latebit;
Et subitò, vigiles, reppererintne? rogo.
Illi, cùm tacito convertere lumina risu,
Verbaq́ dentatis reddere salsa jocis.
Et quidam; Quisnam ille tuus quem diligis ignis,
Absq́ suo nosci nomine posse putas?
Parcite, respondi, tã rusticus est mihi candor,
Scire omnes rebar; quis meus esset amor.
Nec mage vel Pyladis notum, vel nomen Orestis,
Néve tuum, Thysbe, Pirame, néve tuum:
Vosq́ etiam quamvis, quem diligo, scire negetis,
Scire nec ignotum posse latere, puto.
Obsecro, dic igitur Custodia pervigil urbis,
Num meus hac vobis tendere visus Amor?
Ille meus, propriâ quem plus ego diligo vitâ.
Qui quoque me vitâ plus amat ipse suâ.

Dici-

Dicite, quando abiit? quantillo tempore
manſit?
Quaquè prehenſurum ſe ſimulavit iter?
Hac iit aut illac? dextra vel fortè ſiniſtrâ?
Solus erat? ſociis an comitatus erat?
Excubiæ ſalſis iterum riſére cachinnis;
At mihi ſalſa meas obruit unda genas.
Tranſieram: Sponſi neque ſpes ſuper ulla videndi,
Menſquè erat in damni merſa dolore ſui:
En ſubitò, dũ cuncta animo triſtiſſima volvo,
Nullaquè, quam tantæ, vota minora ſpei;
Ille meus, totâ toties quæſitus in urbe,
Iam non quæſitus conſtitit ante oculos.
Exilui, miſtoquè metu perterrita gaudens
Vix potui propriis credere luminibus.
Et, Téne aſpicio, mea lux, mea vita? volentem
Dicere, vox hærens faucibus impediit.
Qualis ubi viſo conjux inopina marito.
(Quẽ mendax tulerat rumor obiſſe diem)
Obſtupet ac viſâ veluti percellitur umbrâ,
Optantemquè loqui, pallida facta, fugit.
Nec niſi jam noto reducis fidentior ore,
Audet in amplexus conjugis ire ſui:

Tumquè

Tumquè veretur adhuc, ne se malè credula fallat,
Inquè fidem levior decipiatur amor:
Sic ego, dum trepido redière in pectore vires,
Tequè iterum ante oculos, Sponse, reviso meos;
Subdubitans, speransquè timensquè & amore fatiscens,
Túne es, quē video, clamo, vel umbra tui?
Ah Sponse! ah non es! non es, quem diligo, non es!
Imò es quid dubito? numquid es? haud dubito.
O mea lux, video, te nunc video, mea vita;
Nil ultra dubito, lux mea, te video.
Agnoscensquè tui vocem præsentis & ora,
Involo in amplexus, Sponse reperte, tuos.
Iamquè ego te teneo, neque per vaga compita quæram,
Ludibrium vigili, nocte futura gregi.
O mea si geminis mutentur brachia vinclis,
Atque manus manicis, compedibusquè pedes!
Quàm te complicitis, mea lux amplecterer ulnis!
Arctius amplexu, vitis & ulme, tuo.

Ar-

Arctius anguipedum manibus, pedibusquè hederarum,
Queis obit annosas herba marita domos.
Sed neque te nostri lassent, mea vita, lacerti,
Sæpè nec errantes per tua colla manus:
Longa Tui subeat me alux, absentia mentem,
Nec nisi pensari tempore posse putes.
Ah citò tam longi quereris compendia dãni.
Vix ego jam cœpi, tu satur, ecce, fugis.
Non ita discedes non tam citò liber abibis.
Non nisi pugnando viceris, effugies.

Num quem diligit anima mea vidistis? Paullulùm cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam. *Cant.* 3, 3, 4.

O Amor præceps, vehemens, flagrans, impetuose! qui præter te, aliud cogitare non sinis, fastidis cætera, contemnis omnia, præter te, te contentus: confundis ordines, dissimulas usum, modum ignoras. Totum quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilii, judiciivé videtur, triumphas in temetipso, & redigis

in

in captivitatem. En omne quod cogitat ista & loquitur, te sonat, te redolet, & aliud nihil, ita tibi, ipsius & cor vendicasti & linguam. Ait: *Num quem diligit anima mea vidistis?* quasi verò hi sciant, quid cogitet ipsa! Quem diligit anima tua de ipso sciscitaris? & non habet nomen? Quænam verò tu, & ille quis? *q.*

Quo pacto inveniri posset, quod nullæ res nobis cognitæ ostendere possunt? non forma, non color, non circumscriptio, non qualitas, non locus, non figura, non conjectura, non adsimilatio, non proportio; sed quod semper extra omnem perceptionis viam positum, comprehensionem pervestigantium planè fugit. Propterea, inquit, *quæsivi eum*, per animæ facultates eas quæ inveniendi vi præditæ sunt; per ratiocinationes & cogitationes: at extra hæc omnia positus erat, accessum mentis propriorem effugiens. Qui verò semper reperitur omni notâ carere, de quâ possit agnosci, quo pacto queat is per indicationem aliquam vocum percipi? *r.* [Sed]

q. Bern, serm. 79. in Cantic. *r.* Nyss. orat. 12. in Cant.

[Sed] sicut Conjux amatrix viri, absente marito suo, per fenestras circumspicit, ipsum requirens, & ubique speculans, in mari & in terrâ; etsi viderit navem venientem, ibi suum putat esse virum; & si viderit viatores procul venientes, inter ipsos adesse existimat, & occurrens eis, interrogat dicens: Dicite mihi ubi eum dimiseritis, in quâ regione, aut in quâ civitate? quid dicentem, aut quid facientem, aut quando venientem? in hunc modum, omnis sancta [anima] constricta amore Christi interrogat: *Dicite mihi, ubi pascit, ubi cubat, quem diligit anima mea? f.*

Jam optas videre quem amas, cui nunc blandiris, & nunc ad amoris & desiderii intentionem suaviter illum pervestigas, nūc moras accusas, nunc re cernis contemptū, nunc te visitatione confiteris indignum, & iterum de ejus, (totiens expertus) bonitate præsumis, nunc quasi ulterius non sustineas, spirituali quodam litigio vel luctamine evincere retardantem conaris. Quæ tunc lachrymæ? qui gemitus? quæ suspiria?

f. Chrysost. homil. de virtute.

quę voces? nunc oculi fletu graves, cùm intimis singultibus eriguntur ad cœlum; nũc manus extenduntur & brachia, nunc pectoris contusione animæ tarditas accusatur. Proferuntur interim verba sine principio, sine fine, quorum nec sententiæ cohærent sibi, nec rationes similes sunt, nec alicujus linguæ sensus vel idioma servatur; quando vox aliquando respondet affectui, & iterum vocem affectus intercipit. Gaudet certè pius ille Jesus tali certamine superari. *t.*

Superest itaque ut ad eum recurrat, in quo solo vera est consolatio, & per istius vitæ noctes, in lectulo cordis Deum quærat; Quem si primò non invenit, magis ad quærendum animetur, surgat ad amorem cœlestium; civitatem circumeat exultatione universæ terræ fundatam; interroget vigiles, qui custodiunt Ecclesiam, nudetur pallio sæcularis ornatus, & charitatis sagittâ interiùs vulneretur. Nec priùs à quærendo desistat, quàm mœrentium consolatorem inveniat. Inventum autem summope-

t. Bernardus hom. infr. 8. Epiph.

moperè teneat, donec redemptus ope adjutricis gratiæ, à conscientiæ eripiatur tribulatione. *u.*

Est enim quidam spiritalis amplexus, atque utinam contingat, ut meam Sponsam altior Sponsi amplexus includat, ut ego quoque possim dicere, quod in eodem libro scriptum est: *Sinistra ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me!* *x.*

Quid hoc tenacius glurino, quod nec aquis eluitur, nec ventis dissolvitur, nec scinditur gladiis? Deniq; *aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. Tenui eum nec dimittam.* Et sanctus Patriarcha: *Non te*: inquit, *dimittam, nisi benedixeris mihi*: Ista non vult eum dimittere: & fortè magis quàm Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem; siquidem ille, benedictione acceptâ, dimisit eum: hæc autem non sic, Nolo, inquit, benedictionem tuam, sed te. *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* non dimittam te, nec si benedixeris mihi. *Tenui eum, nec*

P 2 di-

u. S. Greg. in Psal. pœnitentiales, *x.* Orig. hom. 1. in Cant.

dimittam. Nec minùs forsitan ille teneri vult, cùm perhibeat dicens: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Quodquè pollicens ait: *Ecce ego vobiscum sum, usq; ad consummationem sæculi*: quid hâc copulâ fortius, quæ una, duorum tam vehementi voluntate fundata est? sed nihilominùs, illa vicissim tenetur ab eo quem tenet; cui alibi dicit: *Tenuisti manum dexteram meam.* Quæ tenetur & tenet, quomodo jam cadere potest? tenet fidei firmitate, tenet devotionis affectu. At nequaquam diu teneret, si non teneretur. Tenetur autem potentiâ & misericordiâ Domini. *Tenui eum, nec dimittam.* y.

Inveniam [& ego] Te desiderium cordis mei. teneam Te, amor animæ meæ, amplectar Te sponse cœlestis, exultatio mea summa, intus & extra, possideam. Te beatitudo sempiterna, possideam. Te in medio cordis mei, vita beata, dulcedo summa animæ meæ! z.

Ecce quod concupivi jam video, quod speravi jam teneo, quod desideravi jam habeo;

y. Bern. serm. 79. in Cant. z. Aug. soliloq. c. 4.

beo; illi namq; in cœlis junctus sum, quem in terris positus totâ virtute dilexi, totâ caritate amplexus sum, cui toto amore inhæsi, ipsum laudo, benedico, atque adoro. *a.*

Tantò instantiùs inventum tenui, quantò tardiùs, quem quærebam, inveni. *b.*

O piissime Domine & dulcissime Magister! quàm bonus es his, qui recto sunt corde, & humiles sunt spiritu! ô quàm beati, qui in simplicitate cordis quærunt te, & quàm felices qui sperant in te! Verum certè est, & indubitâter verum, quòd tu diligis omnes diligentes te, & numquam derelinquis sperantes in te. Ecce enim dilectrix tua simpliciter quærebat te, & veraciter invenit te. Sperabat in te, & non est derelicta à te, sed plus est consecuta per te, quàm expectârat à te. *c.*

Gratias Tibi, lux mea, quoniam illuminasti me, & inveni Te, & me, ubi inveni me, ubi cognovi me, ibi inveni Te, ibi cognovi Te; ubi autem cognovi Te, ibi illuminasti me. *d.*

a. Aug. med. cap. 37. *b.* Beda in cap. 3. Cant.
c. Orig. ho. 10. in divers. *d.* Aug. soliloq. cap. 38.

XIII.

Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. *Psal.* 72,27.

QVàm mea, per varios, vita est exercita casus!
Vt pila, percussu pulsa, repulsa manus.
Munera belligeri primùm placuêre Gradivi,
Armaq; spe laudis, sanguinolenta tuli.
Arma dabant animos, & erat spes omnis in armis,
Ceu foret hæc votis meta futura meis
Sæpè vigil tetricas traduxi cantibus horas,
Et custos speculæ tædia longa tuli.
Nec semel admonitu fraus hostica prodita nostro est.
Cùm signum toties, ore, vel ære dedi.
Addici septis fossam producere castris,
Et sude præfixas impedisse vias.
Quin etiam subitæ faciem componere pugnæ,
Et trepidis animos addere, voce, globis.
Deniq; non tenuit belli quis certiùs artes,
Militis auxilio, seu Ducis esset opus.

Ab



Mihi autem, adhærere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam. Psal. 72. v. 27. 28.

31



Ah, quoties Libycas pressit pes lassus arenas.
Et cecidit madidis sudor in ora comis!
Collaq; magnanimus tinxit fumantia pulvis;
Nec tamen unda, sitim quæ recrearet, erat.
Ah quoties gelidos fluviorum innavimus alveos, (caput!
Ære gravante humeros, ære gravante
Oraq; prensatos retinebant mordicus enses,
Nando per obstantes cùm veheremur aquas. (nis,
Bellantem tenuit jam tot me Marspiter an-
Principioq; pedes, sine merebar eques:
Quoq; tegor, decimâ fuit ictus arundine thorax,
Læsaq; sunt totidem cassis & umbo locis.
Lethifero cecidit sonipes mihi tertius ictu,
Crista quater, galea cuspide, rapta fuit,
Quin animam præceps in aperta pericula misi,
Dum nimis hostili dextera cæde calet.
Nulla tamen nostro tunc sunt data vulnera tergo,
Omne sed adverso pectore vulnus erat.

Nempe gradum tenui, contra ferrumq; facesq;
Telaq; præcipiti grandine plura tuli.
Perq; meo factos gladio spatiabar acervos,
Impositò subigens corpora strata pede.
Quis putet, hoc tantis caput insuperabile bellis,
Nonetiam bellis, vota tulisse suis?
Heu mihi! post partas proprio tot sanguine lauros,
Post tot ad infernos funera missa lacus;
Post toties meritas gladio victore coronas,
Post tot fixa tuo signa, Gradive, tholo:
Vna tot egregios delevit culpa triumphos,
Nec fuit ulla supèr nominis umbra mei:
Et gravis in pœnam me diruit ære Tribunus,
Iussit & incincto turpiter ire sago.
Gloria quin odiis popularibus obruta vertit,
Sic cecidit tanto Marte petitus honos.
O utinam potiùs pro te, Deus, arma tulissem!
Non ita cassa suis laudibus arma forent.
Te super, intrepidâ meliùs spe, vota locantur,
Vt fundat trepidas anchora fida rates.

Ergo

Ergo ſuum Odryſio poſitum ſuſpendimus enſem,
Æraq; ſunt curvæ juſſa valere tubæ.
Tum lucra, tum vigiles, lucro arriſêre tabernæ,
Vnaq; Mercurio cura lita ſſe fuit.
Tum piper & lanas Lydo reparavimus auro,
Veximus & gravidâ grana, merumq; trabe.
Noſtraq; Barbaricos tetigerunt linteа portus,
Et ſinus invectâ vix ſine merce fuit.
Scilicet, è minimâ magnum re cogere quæſtum,
Maximus hâc ſtudii parte triumphus erat.
Creverat aggeſtis jam denſa pecunia nūmis,
Nec domus immenſas arctа tenebat opes.
Claſſis & ambuſtis onerata redibat ab Indis,
Sed periit, patriis proxima claſſis aquis.
Plurimus implebat tabulas mihi debitor, ambas,
Credita per jurus debitor eſſe negat.
Ergo velut liquidis ſal creſcit & interit undis,
Vt creviſtis opes, ſic periſtis opes.

O quanto placidos tranquillius exigit annos
Qui neque lucra cupit, qui neque bella movet!
Dives Athlantiade, tua linquo negotia, dixi,
Nulla mihi vestrâ merce redemta quies.
Quid facerem, totiesfrustrantibus omnia votis,
Marte negante decus, Mercurioq; fidem?
Regis in ignotam subrepsi nobilis aulam;
Magnaq; mox regi fama relata mei est.
Et vocor, & videor, placidoq; arrideor ore;
Dumq; loquor, pronâ Principis aure fruor.
Nescio quid fuerit, quod Rex ita cœpit amare;
Non fuit hoc meriti, sed magè sortis opus.
Seu fuerit virtus, seu sors, seu Regius error,
Maximus exiguo tempore crevit amor.
Sapè diem nocticonjunximus, inq; loquendo,
Non fuerat visus præcipitasse dies.
Sapè domi tacitas lusu traduximus horas,
Vnaquè sapè foris mensa duobus erat.
Non ita Sejanum Latia favor extulit Aula;
Clitus Alexandro non ita carus erat.

Com-

Commodus haud tantum potuit tribuisse Cleandro,
Aut Constantini plus amor Ablavio.
Iamq; fuâ fateor, favor hic, novitate placebat,
(Vt propè non solitæ res novitate placent)
Aulaquè felicem, felicem turba vocabat,
Quòd mihi tanta Ducis Gratia parta foret.
Vah! nimis infidis subnixa potentia sceptris,
Quæ minimo sortis turbine versa ruit!
Ecce, minax tetricos cœpit Rex ducere vultus,
Nec tamen est vitio gratia læsa meo.
Hei mihi! cœptus amor, subitam se vertit in iram,
Hostis & è patrio cogor abire solo.
Et veteres auxi casu, nova fabula, fastos;
Fabula sic elegis triste canenda meis.
Arcadii Eutropius, Stilico redivivus Honorii,
Et Constantini Cæsaris Ablavius;
Clitus Alexandri; Tiberi Sejanus; imago
Heu nimis historiæ vera fuêre meæ!

O Deus! ò quantò tranquillius exigit ævum,
Qui locat in sceptris vota quæ spesque tuis!

Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam. *Psal. 72, 27.*

COr humanum in desiderio æternitatis non fixum, numquam stabile potest esse: sed omni volubilitate volubilius de alio in aliud transit, quærens requiem, ubi non est. In his autem caducis & transitoriis, in quibus ejus affectus captivi tenentur, veram requiem invenire non valet, quoniam tantæ est dignitatis, ut nullum bonum præter summum bonum, ei sufficere possit. *e.*

[Et ego] aliud & aliud sequebar, & à nullo implebar: dum non in me invenie-bã te, incommutabile & singulare, individuum, unum bonum, quod consequutus, non egeo; quod consequutus, non doleo; quod possidens, satiatur totum desiderium meum. *f.*

[Sed nunc] nihil mihi tam dulce quàm cum

e. Aug. meditation. c. 25. *f.* Aug. soliloq. c. 13.

cum Domino meo esse. *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Da mihi, Domine, donec his fragilibus assisto membris, *tibi adhærere*, sicut scriptum est, *qui adhæret Domino, unus spiritus est cum eo. g.*

Eligant alii militiam, alii advocationem, alii diversas variasq; doctrinas, alii negotiationem, alii agriculturam, *mihi autem adhærere Deo bonum est.* Deo adhærere nihil est melius, quando, cum videbimus facie ad faciem: modò ergo quid? quia adhuc peregrinus loquor. *Adhærere Deo bonum est*; sed modò in peregrinatione, quia nondum venitres: *ponere in Deo spem meam.* Quamdiu ergo nondum adhæsisti, ibi pone spem. Fluctuas? præmitte ad terram hanc anchoram. Nondum hæres per præsentiam? in hære per spem: & quid hic ages, ponens in Deo spem tuam? quod erit negotium tuum, nisi ut laudes, quem diligis? Ecce si amares Aurigam, non raperes cæteros ut tecum amarent? Amator Aurigæ quacumque transit, loquitur de illo, ut cum ament & cæteri. *h.*

P 7 Divi-

g. Aug. med. c. 37. *h.* Aug. in Psal. 72.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Fluxa est divitiarum natura, suos possessores, ocyùs torrente prærapido, prætercurrit; alios aliò modo, apta mutare Dominos. Hodie hujus est ager, cras erit alterius, & paullò post ad alium perveniet. Respice parumper ad civitatis domos; quot nomina ex eo tempore, quo fuerunt ædificatæ, sortitæ sunt, aliter ab aliis atque aliis appellatę possessoribus? Et aurum è manibus habentis se, fluens semper ad alium transfertur; & ab illo, ad alium; magis enim aquã manu circumplexam retinere continenter possis, quàm divitias conservare tibi ipsi. *i.*

Justorum judicio (quælibet bona adfuerint) cum sanctis desideriis æstuant, bona minimè videntur, unde David Propheta, qui Regni divitiis, multisquè obsequiis fulciebatur, quamvis & hęc ad necessitatem bona esse conspiceret, uni tamen singulariter bono inhians ęstuabat, dicens: *mihi autem adhærere Deo bonum est. k.*

Sit

i. Basil. in Psalm. 61. *k.* Greg. homil. 4. in Evang.

Sit ergo Dominus Deus spes tua, non aliquid aliud à Domino Deo tuo speres: sed ipse Dominus tuus sit spes tua. Namq; multi de Deo sperant pecuniam; multi de Deo sperant caducos honores & perituros; aliud quodlibet à Deo, præter ipsum Deum, sed tu ipsum Deum tuum pete. Relinque omnes amores, pulchrior est ille qui fecit cœlum & terram. *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias mendaces. l.*

Sicut autem nemo potest duobus Dominis servire, ita nemo potest in duobus Dominos sperare. Nemo potest in incerto divitiarum sperare, & in Domino. Nemo potest sperare in Principibus, & in Deo. Nemo potest sperare in viribus equi, & in Deo. Nemo potest sperare in sæculo, & in Deo. Nisi enim in solo Deo speraveris, & videat Deus spem tuam, in sæculum æternum esse conversam, & quia aliam nullam omninò spem geris, nisi in ipso, qui vivificat mortuos, & vocat, quæ non sunt, non poteris eripi à peccatoribus. Solus est enim,

l. Aug. in Psal. 39.

enim ipse *qui salvos facit sperantes in se.* *m.*

Huic qui in homine spem ponit, magnoperè est metuendum, ne in execrationem illam incidat: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & fulcit carnem brachii sui, & defecit à Domino anima ejus.* Quæ verba cùm dicunt, *Qui confidit in homine*; illud præcipiunt; nequaquam in altero spem poni debere, cùm autem, *& fulcit carnem brachii sui*; in se, sui habendam fiduciam vetant. *n.*

Quidquid igitur agendum sit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum. Tu es Domine, spes mea, hæc una mihi omnium promissionũ caussa; hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum; sustinere se jactet pondus diei & æstus; jejunare bis in Sabbatho dicat, postremò non esse sicut cæteri hominum glorietur; *mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Sperent in aliis alii; fortè hic in scientiâ litterarum; hic in astutiâ sæculi; ille in nobilitate; ille in dignitate; ille in aliâ qualibet.

m. Basil. in reg. fusiùs disp. q. 42.

libet vanitate confidat; propter te, *omnia detrimenta feci, & ut stercora arbitror: quoniam tu es Domine spes mea.* Speret, qui vult, *in incerto divitiarum*; ego verò ne ipsa quidem, nisi abs te victui necessaria speto. Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant adversum me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. Quid cunctamur abjicere omninò spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, & huic uni, tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei, totâ devotione animi, toto fervore spiritus, inhærere? si quid illa impossibile, si quid vel difficile est, quære aliud in quo speres. *o.*

Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: quæ sicut anchoram habeamus animæ tutam ac firmam. p.

Jam spem quasi anchoram [præmisimus] ne in isto mari turbati, naufragemur. Quemadmodum enim de navi quæ in ancho-

o. Bern. serm. 9. *Beat. qui habit.* p. Hebr. 6. 18, 19.

choris est, rectè dicimus quod jam in terrâ fit, adhuc tamen fluctuat, sed in terrâ quodammodo educta est contra ventos, & contra tempestates; sic contra tentationes hujus peregrinationis nostræ, spes nostra fundata, facit nos non abripi in saxa. *q.*

Adhæreat, quæso, Domine, *anima mea post te*, suscipiat me dextera tua; sustollat me super altitudinem terræ, & cibet me illâ cæleſti hæreditate, cui suspirat peregrinatio mea die ac nocte. *r.*

q. Aug. in Psal 64. *r.* ibidem.

XIV.

Sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi. *Cant.* 2, 3.

FOrs iter ignotas longum meditabar in oras,
Et bona jam cœptæ pars erat acta viæ.
Utq; solet lassus metam spectare viator,
Credebam spatiis pauca deesse meis.
Vt cœpi reliquos metiri provida passus,
Majus erat medio, quod superabat, iter.
Hei mihi! tũ refugæ cecidêrũt corpore vires,
Totq; nimis durus, millia visa labor.

Ergo



Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi.
Cantic. 2. v. 3.

BIBLIOTECA
USCIANENSE

Ergo oculos cœlo miserâcum voce tetendi,
Ferret an hinc aliquis, voce vocatus, opem?
Et mihi, quis, dixi; dabit hisce sub æstibus umbram?
Solis ab infesto verberor igne caput.
Aspice, sub plantis quàm ferveat arida tellus,
Siccaq́ semustos urat arena pedes.
O nemora! ô riqua, frondosa cacumina, sylvæ!
O latebræ! ô fontes! arboreaq́ domus!
O utinam, virides pandat mihi populus alas,
Aut caput hoc, mali fronde comante tegat!
Audiit ille meas sölitus lenire querelas,
Cujus erat toties umbra petita mihi.
Et scio, quò properas, scio, quas, ait, arripis oras;
Et scio, quam toties anxia poscis opem:
Cœlestis Solymæ longinquam tendis in urbẽ,
Quamq́ agis in terris, hæc tibi, vita, via est.
Iamq́ gravat longi te tanta molestia cursus,
Et cupere Mali fronde virente tegi.
Ecce tuis venio speratæ laboribus umbra,
Quamq́ voves, placido tegmine, Malus ero.

Asti-

Aſpicis hærentes funeſtâ ex arbore palmas,
Quoſq; fodit geminos cuſpis acuta pedes?
Aſpicis innumero laniatum vulnere corpus?
Aſpicis? heu vix eſt corporis umbra mei.
Hæc tibi quæſitam feſſæ dabit umbra quietẽ,
Portus & in duris, hæc tibi Malus, erit.
Dixerat, & vires ſubitò rediere jacenti,
Tanta loquente Deo, viſq; vigorq; fuit.
Tunc ego ſuſpitiens, in Sponſum lumina fixi:
Hei mihi, ſuſpenſus de Cruce Sponſus erat!
Et qualis, Sponſe, inquam, hoc eſt, quam triſtis imago?
Hæccine erit capiti Malus aprica meo?
Hac ego ſanguineâ languens reſidebo ſub umbra?
Tu, crucis infami ſtipite fixus eris? (bra
O mala Malus! & infelix, quæ te manus unquam
Fixit humo! manus hæc, cæde cruenta fuit.
Attamẽ hæc lætos Malus jacit ardua ramos,
Viq; cubent, placidos umbra dat apta toros; (ſoporis:
Umbra dat apta toros, ſed non tamen apta
Ah! magis hæ lacrymas, Malus & umbra petunt.

O bo-

O bona Malus! & ô felix, quæ te manus unquam (num.
Fixit humo, hanc sidus jam decet esse ma-
Ah video, cui te similem, mi Sponse, vocabo;
Sæpè mihi umbriferæ munere functæ domus.
Qualis onusta rubris latè sua brachia pomis
Spargit, & apta siti munera Malus habet;
Exsuperatq; suas, numerosâ fruge sorores,
Una nemus lassis, hospitibusq; penus:
Talis es æstivis mihi, Sponse, caloribus umbrâ;
Lymphaq; dum sitio, dum fameoq;, cibus.
O quoties ego te! quoties, mi Sponse, vocavi,
Vt semel illa meum conderet umbra caput!
Hic ego, si liceat, dixi, gemebunda sedebo;
Vt sedet amisso mœsta columba viro.
Et modò purpurei concreto sanguine crines,
Et modò materies, labra, doloris erunt.
Nunc oculi ante oculos, nunc frons, nunc pendula cervix,
Nunc os, nunc atro barba cruore madens.

O quo-

O quoties latus hoc, lacrymansq; gemensq;
videbo!
Ne videam lacrymis impediarq; meis!
Multa tamen dabit hoc unum mihi vulnera, vulnus,
Saucia dum geminos labar ad usq; pedes.
Tuncq; iterum amplexu lignum lacrymabile stringens,
Subscribam hæc plantis verba suprema tuis:
En duo qui caussam præbent sibi mortis, Amantes;
Mergitur hæc lacrymis, ignibus ille perit.

Sub umbrâ illius, quem desideraveram sedi, *Cant.* 2, 3.

AMoris enim vulnere percussa arborum solatia sylvarumque sectatur.

Sicut [namque] arbor mali inter reliqua ligna sylvæ, sic est sponsus inter reliquos filios: habens fructum, qui non solùm sapore omnes, sed & odore præcellat; & duos animæ sensus: id est gustum & odoratum reficiat: diversis namque copiis mensam suam nobis præparat sapientia, in quâ non solùm panem vitæ apponit, sed immolat car-

carnes verbi; & non solùm miscet in crate-re suo vinum, sed & mala adhibet odorata & dulcia, quæ non tantùm in ore & labiis suavitatem reddant, sed & interioribus tradita faucibus dulcedinem servent. *s.*

Is enim qui in sylvâ naturæ nostræ, ob suam erga genus humanum benevolentiã germinavit, eo ipso quod carnis ac sanguinis particeps factus est, quasi malum quoddam exiſtit. Nam in hoc fructu videre est quiddam, quod cum utroque, nimirum, carne ac sanguine, similitudinem aliquam habeat: etenim ratione coloris subalbi; carni quod proprium est imitatur; rubedinis specie cognatio quasi quędam cum sanguinis naturâ indicatur. *t.*

Meritò ergo ejus desideraverat umbram, de quo & refrigerium esset & refectionem pariter acceptura. Nam cætera quidem sylvarum ligna etsi umbram solatii habent, sed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos salutis, unus est etenim vitæ auctor, unus mediator Dei & hominum

s. Orig. hom. 3. in. Cant. Orig. ibid. *t.* Nyss. in orat. 4. in Cant.

num homo Christus Jesus, qui dicit sponsæ suæ: *Salus tua ego sum.* Propterea ergo Christi potissimùm desideraverat umbrã; quòd solus sit, qui non solùm ab æstu refrigerat vitiorum, sed & replet delectatione virtutum. *Sub umbrâ ejus quem desideraveram sedi.* umbra ejus, caro ejus. *u.*

Quis enim posset sustinere Solem justitiæ nudum? quis non consumeretur ardentibus radiis ejus assumpsit ergo Sol justitiæ hominem mediatorem, & ita ex conjunctione solis & humani corporis facta est umbra. *x.*

Christus ergo affixus ad lignum, sicut *malum pendens in arbore*, bonum odorem mundanæ fundebat redemptionis; quæ peccati gravem deterſit fœtorem & unguentum potus vitalis effudit. *Tanquam malum*, inquit, *in lignis sylvæ, ita consobrinus meus in medio filiorum. In umbrâ ejus concupivi & sedi.* Bona umbra, quæ nos ab iniquitatis sole defendit, *& fructus ejus dulcis in faucibus meis.* Quis fructus ejus dulcis,

u. Bern. serm. 48. in Cant, *x.* Guil. apud Delrio in c. 2. Cant.

cis, nisi prædicatio Dominicæ passionis? *y.*

Nathanaël *sub arbore fici* videtur; David, *in umbrâ alarum* Domini Jesu sperare se dicit; Zacchæus *in arborem sicomori* ascendit, ut Christum videret. Nobis quoq; expandit manus suas Jesus, ut totum mundum obumbraret. quomodo non sumus in *umbrâ*, qui Crucis ejus protegimur velamento? quomodo non sumus in *umbrâ*, quos crucifixus à malignitate sæculi, & corporis ardore defendit. *z.*

Hâc umbrâ David protegi se postulabat, ne eum *per diem Sol* ureret *vel luna per noctem*. *Hanc umbram* spiritalis ministrat gratia, torrida sæculi hujus, & mundi æstiva fugientibus. In hâc ergo *requiescamus umbrâ*, peccatorum nostrorum æstibus fatigati; si quos adussit libido, hos Domini Crux refrigeret, in quâ se reclinavit, ut nostra delicta susciperet. *a.*

Umbra fit ex corpore & luce, & est itinerantium refrigerium ab æstu, & protectio à tempestate. Arbor vitæ, scilicet *ma-*

y. Ambr. in Psalm. 118. Octon. 5. *z.* Ambr. in Psal. 118. Octon. 3. *a.* Idem ibid. Oct. 4.

lus, est *sancta Crux*: fructus ejus, *Christus*; *umbra*, tutela vel refrigerium humani generis, quod gravi onere peccatorum per æstum concupiscentiæ premebatur. *b.*

Umbra Christi [siquidem] omnem tentationum fervorem temperat, & dum aura suæ inspirationis suaviter mentem tangit, quicquid noxii caloris sustinebat, expellit, & quam jam forsitan nimius vitiorum æstus marcidam fecerat, umbra sancti Spiritus, protegens recreat, ut dum in ejus inspiratione sedens pausat, vires colligat, quibus ad æternam vitam robustiùs currat. *d.*

Per *umbram* ex supernâ protectione refrigerium cordis exprimitur. Sicut Sponsa in Canticis Cant. adventum Sponsi præstolata prænunciat, dicens: *Sub umbrâ illius quem desideraveram sedi*, ac si dicat: ab æstu carnalium desideriorum, sub adventus illius protectione requievi. *e.*

Nónne meritò sub arboris hujus umbrâ sedit genus humanum, quod per esum ligni

b. Hon. apud Delr. in c. 2 Cant. *d* Greg. in c. 2. Cant. *e.* Greg. l. 33 mor. c. 3, in c. 40. Iob.

ligni scientiæ boni & mali paradysum amiserat? grave onus peccatorum in æstu vitiorum portabat, quod deorsum in præcipitium tormentorum trahebat, & ideò ad arborem vitæ Jesum Christum festinabat. *f.*

Tu ergo, vide, ut vivas in umbrâ ejus, ut quandoq; & regnes in lumine ejus. Non enim tantùm umbram habet, habet & lucem. *g.*

Apostolus dicit: legem, umbram habere futurorum bonorum, & omnem veterem culturam umbram & exemplar pronunciat esse cœlestium. Nos autem alieni sumus ab umbrâ eorum quoniam non sumus sub lege, sed sub gratiâ, sed quamvis non sumus sed umbrâ illa, sumus tamen sub umbrâ meliore; in umbrâ enim Christi vivimus inter gentes. *h.*

* Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus: in umbrâ tuâ vivemus in Gentibus. *i.* *

f. Honorius apud Delrium c.2. *g.* Bern. serm. 48. in Cant. *h.* Orig. hom. 3. in Cant. *i.* Thren. 4, 20.

Et meritò Sponsa sub mali umbrâ sedere concupiscit; sine dubio, ut vitæ, quæ est in ejus umbrâ, particeps fiat. Videtur omnis [quoque] anima, donec in præsenti vitâ est, umbram habere necessariam, propter illum, credo, ardorem Solis, qui cùm exortus fuerit, continuò semen, quod non altâ radice demersum est, aresçit & deperit. *k*.

Sed fortasse felicius aliquid ista expertam se gloriatur in eo quod se in umbrâ dicit non (ut Propheta) vivere, sed sedisse: sedere enim quiescere est. Plus autem est quiescere in umbrâ quàm vivere; sicut vivere plus est quàm tantummodò esse in eâ. Igitur quod est commune multorum, Propheta assumens sibi; *in umbrâ ejus vivimus*, inquit; sponsa verò, habens prærogativam, etiam quod sub eâ singulariter *sederit* gloriatur, ubi itaque nos cum labore vivimus, qui conscii peccatorum sub timore servimus, ibi hæc devota & amans suaviter requiescit. Deniq; timor pœnam habet, amor suavitatem, unde ait; *Et fructus ejus dul-*

k. Orig. homil. 3 in Cant.

dulcis gutturi meo; gustum contemplationis significans, quem obtinuerat per amorem suaviter sublevata. Ast istud, *in umbrâ*, quia, *per speculum & in ænigmate*, erit: cùm *declinaverint umbræ* crescente lumine, imò penitùs disparuerint, & subintrabit sicut perspicua ita & perpetua visio, eritq; non modò suavitas gutturi, sed & satietas ventri, sine fastidio tamen: *sed umbrâ ejus quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. l.*

In te ergo, dulcissime Domine Jesu, quiescat mens nostra, & à te, nec ad modicum separetur. Stultissimum quidem est, etiam nobilissimo & jucundissimo loco exire. Quomodo audemus, nisi dulcissimum spōsum inspicere, ne subtrahatur à nobis? quid, quæso, nos movet, aliud intueri? quomodo omnia non despiunt & despiciuntur? *m*.

Confugiat, Domine, mens mea, *sub umbrâ alarum tuarum*, ab æstibus cogitationum hujus sæculi; ut in tui refrigerii tem-

l. Bern. serm. 58. in Cant. *m*. Bonav. 2. part. stimul. c. 8.

peramento absconsa, lætabunda cantet, & dicat: *In pace in idipsum dormiam & requiescam. n.*

n. Aug, med, cap. 37.

XV.

Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ. *Ps.* 136, 5.

Quid toties cantus iterare jubetis amici,
Seu lubeat digitis, seu juvet ore loqui?
Lætitiam cantus poscunt, animiq; quietem,
Turbida cùm mens est, os digitiq; dolent,
Quin magè cantandum cum mens jacet ægra, monetis;
Tunc q; opus esse lyrâ, tunc q; opus esse chely.
Nempe suo nimium ne mersa dolore laboret,
Aut intenta suis, si nimis ipsa malis:
Quid quòd opẽ certæ promittitis usq; medelæ,
Vestra nec exemplo dicta probante carent:
Dicitis hanc causam cur lassus navita cãtet,
Sollicitat celeri cùm freta lenta manu.
Qui q; gregem virides pascendum ducit in agros,
Non, nisi ne nimium sit mora longa, canit.

Et



Quomodo cantabimus canticum Domini, in terra aliena? Psal. 136. v. 5.



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Et canit ut fallat fastidia longa viator,
Miles & ut cantet, nox q3 labor q3 facit.
Non ego, quod faciunt, miles, nauta, atque viator,
Quod q3 facit pastor, damno rebellis opus.
Adde quod & Dominæ jam dudum assueta querelis,
Ad solitos gemitus plus mea lingua valet;
Vixquè retentanti jam carmina prisca subibant,
Musica quin etiam res mihi visa nova est.
Vtquè timet longo veniens è carcere Solem;
Sic mea lætitiam lingua modosquè timet.
Ad numeros quoties fuit impetus ire relictos,
Aut solitam digitis sollicitare chelym;
Aut docto querulas impellere pectine chordas,
Aut mollem articulis increpuisse lyram;
Aut leve ceratis modulari carmen avenis,
Aut voci liquidas associare fides.
Heu! toties lacrymæ sunt, me tẽtante, profusæ,
Et lacrymis, digiti, voxquè retenta fuit.
Mox luctata iterum cantu deducere vocem,
Et querulâ digitos attenuasse lyrâ;

Nequicquam adversis sensi te tendere Musis,
Vila nec est nostrâ barbitos icta manu.
Interea longâ jam desuetudine pigrâ,
Artem dedidicit voxquè manusquè suam.
Nec si nunc studium gravitatis inane retentem,
Mollescant studio tristia fata meo.
Esto, sciam levibus tamen addere carmina nervis,
Aptaquè mutandis sit mihi lingua sonis;
Et vincam Aonias digitis aut gutture Divas,
Et mea sit melior, Marsia Canna tuâ,
Panaque multiforem cogam submittere buxum,
Et superem Thressæ stamina docta lyræ:
Quæstibus, an cantu videor debere teneri,
Maxima cui flendi copia semper adest?
Ah! bene, ne cantem, mihi per mala plurima cautum est;
Vertit & in morem, jam mihi pene dolor.
Nec locus, ut cantem, patitur, neque tempora prosunt;
Viquè locus sinat aut tempora, mœror obest.

Quid

Quid? vultis patriâ procul à tellure jacentẽ,
Externo patrios orbe sonare modos?
Parcite, fortunæ nimis exulis ista repugnãt:
Non est conveniens cantibus ille locus.
Exul ego à patrio tam longè dissita Cœlo,
Impellam patriæ dulcia fila lyræ?
Parcite tam miserum fortunæ vulnus habenti;
Cantandi, externo nulla libido sola est.
Tristia stabilibo manant mihi lumina rivis,
Et videor festam posse ferire chelym?
Semper in obtutu vigilat mens fixa malorũ,
Et cytharâ videor posse, velore loqui?
Heu! nimis insistunt præsenti pectora fato.
Et numquam exilii sensus acerbus abest.
Si quisquam his jubeat Amphiona vivere terris,
Aonio numquam pectine tangat ebur.
Respectu Euridicen propero cum perdidit Orpheus,
Ilicet artifices obrigniêre manus;
Et manibus cecidit leve cum testudine plectrum,
Fractaque sunt casu garrula fila suo.

Quid mihi, non unâ fatorum clade sepultæ
Præcipitis, toties ungue cière fides?
Dum circumspiciens, ubi sim, te Patria spe-
cto;
Heu cadit aspectu mens labefacta, tuo!
Cum semel, ô sperata diu, tibi Patria reddar.
Tunc ego voce canam, tunc ego mente ca-
nam.

Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ? *Psalm. 136, 5.*

UTinam possem talia dicere qualia hymnidici Angelorum chori! ô quàm lubenter me in tuis laudibus totum effunderem? ô quàm devotissimè illa cœlestis melodiæ cantica, ad laudem & gloriam nominis tui, in medio Ecclesiæ infatigabilis perorarem! *o.*

O beatæ nimiùm illæ Cælorum virtutes, quæ laudare possunt te sanctè & purissimè, cum nimiâ dulcedine & ineffabili exultatione! Inde laudant unde gaudent, quia semper vident unde gaudere valeant & laudare.

o. Aug. med. c. 35.

dare. Nos verò mole carnis pressi & procul à vultu tuo in hâc peregrinatione positi, atque per mundanas varietates distenti, te dignè laudare nequimus, laudamus tamen per fidem, non per speciem. Illi verò Angelici spiritus per speciem & non per fidem. *p.*

Nostra certè natura usque adeò delectatur canticis & carminibus, & tantam cum eis habet necessitudinem & convenientiam, ut vel infantes ab uberibus pendentes, si fleant & afflictentur, eâ ratione sopiantur. Nutrices quidem certè, quæ eos gestant in ulnis, sæpè adeuntes & redeuntes, & quædam puerilia iis carmina decantantes, supercilia eorum ita sopiunt: quocirca sæpè quoque viatores meridie agentes jugalia animalia hoc faciunt canentes, itineris molestiam illis canticis consolantes; nec solùm viatores, sed etiam agricolæ, uvas in torculari calcantes, vindemiantes & vires colentes, & quodcumque aliud opus facientes sæpè cantant. Naturæ quoque remos impellentes hoc faciunt. *q.*

Jam verò mulieres quoque texentes &

p. Aug med. cap. 33. *q.* Chrys. in Psal. 61.

confusa stamina radio discernentes, sæpè quidem & perse singulæ, sæpè autem etiam omnes concorditer, unam quamdam melodiam concinunt. Hoc autem faciunt & mulieres & viatores, & agricolæ & nautæ, laborem qui ex opere faciendo susçipitur, cantu consolari volentes; utpote quòd anima, si carmen & canticum audierit, molesta & difficilia sit faciliùs toleratura. *r.*

[Sed] *quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Hebræi non canebant in terrâ captivitatis, quod in suâ patria canere consueverant. Hæc terra captivitatis est, alia terra libertatis est; ista peccati, illa quietis æternæ; vallestris ista, illa cœlestis. *s.*

[Imò] si caro menti repugnat, nec subdita est animi gubernaculo, & mentis imperio, *aliena est terra*, quæ non donatur exercitio cultoris, & ideò non potest fructus charitatis, patientiam pacis afferre: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*

Qui

r. Ambros. enarrat. in Psalm. 36. *s.* Ibidem. *t.* Ambr. l. 2. de pœnit. cap. 11.

Qui cantat, vacuus est, & diversarum cogitationum curas relevat, culpas relegat, sequestrat avaritiam, & non solùm corporis voce, sed etiam mentis suavitate se mulcet. *u*.

Nam cùm mens querulo semel est obsessa dolore,
Ad læta occlusas tunc habet illa fores: x.

In regione umbræ mortis sumus; abscondita est vita nostra, non libera. Erit enim libera in regione vivorum. Ibi ergo vivit anima nostra, ubi nihil mortale, nihil infirmum amicta sit, nihil debitum pœnæ; ibi laudabit Dominum, ubi depositio infirmitatis corpore, conformis esse cœperit gloriæ corporis Christi, nam dum in peccato sumus, plenè laudare quid possumus? In umbrâ sumus hîc positi, in umbrâ vivimus, in umbrâ laudamus: perfectè in umbrâ laudare non possumus. Deniq; *in terra aliena* sumus; *quomodo cantabimus canticũ Domini in terra aliena? y*.

Eructabat hymnum anima pia, cui dicebat:

u. Ambros. in Ps. 118. Octon. 7. *x*. Nazianz. de humana natur. *y*. Ambr. in Ps. 118. Octon. 22.

bat Dei verbum: *insinua mihi vocem tuam, quia vox tua suavis est.* eructabat hymnum cui dicebat : *Favum distillant labia tua ô sponsa, mel & lac sub linguâ tuâ*; sed non potest quis ante eructare hymnum, nisi didicerit justitias Dei, & didicerit ab ipso Domino Deo suo, ideò specialiter hoc David petit, ut eum doceat Deus, quomodo cantare potest in metu positus & in timore pœnarum? quomodo cantare potest gravium sibi conscius delictorum ; nisi priùs fiat veniæ securus? Denique *quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ*, in qua impugnetur, in qua captivetur in lege peccati ; in quâ defleat atque deploret suæ captivitatis ærumnas? z.

O pax illa, quam videbimus apud Deum! ô illa sancta æqualitas Angelorum! ô illa visio & spectaculum pulchrum! ecce in Babylonia pulchra sunt quæ tenent ; non teneant, non decipiant. Aliud est solatium captivorum, aliud gaudium liberorum. a.

Facilè potest demonstrari captivos nos esse: Non enim respiramus jam in auras illius

z. Ibid. superiùs. a. Aug. in Psal. 136.

lius libertatis ; non enim fruimur libertate veritatis; delectationibus temporalium rerum tentamur , & colluctamur quotidie, cum suggestionibus illicitarum voluptatum. Vix respiramus, vel in oratione; captivos nos esse intelligimus. *b.*

Illi autem *qui captivos duxerunt nos*, quando intrant in corda hominum & interrogant nos & dicunt nobis : *Cantate nobis verba canticorum*: Quid respondemus? Babylonia te portat , Babylonia te continet, Babylonia te nutrit, Babylonia de te loquitur; non nosti capere nisi quod fulget ad tempus ; æterna meditari ignoras, non capis quod interrogas. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ? c.*

* *Sedimus ignotos diræ Babylonis ad amnes*
Captivi, Iudæa manus, miserabile flentes,
Cùm Patrium memori traseremus pectore Sion
Et meritum justâ suspiraremus ab irâ
Exilium: lentis quà consita ripa Salictis,
Hospitibus populis umbras præbebat amicas.
Illic Assyriæ mediis in mœnibus urbis
Oblitæ

b, Ibidem. *c*, Ibidem.

Obliti lætus per mœsta silentia voces
De Salicum ramis suspendimus organa nostra. (dolorem,
Namquè dabat nobis durum gravis ira
Quod solita in sancto depromi cantica templo
Hæc ad delicias sibi nos cantare jubebat,
Impius ille, domo qui nos abduxerat, hostis.
Ergone divinas laudes, & carmina castis
Apta choris, inter sacra Barbara, fœdaquè
Inter & accẽsas funestis ignibus aras, (busta
Heu! male de nostro lætis mœrore, canemus?
Dequè pio ritu luxum faciemus iniquum,
Mystica ad hostilem modulãtes cantica ludũ?
Quo miseri nunc ore sacros cantabimus hymnos?
Quove loco Babylon poscit sibi cantica Sion?
Sed Domini carmen tellus aliena mereri
Non capit, indignas sacra vox avertitur aures.
Si fuero oblitus mea mœnia te mea cæra,
Urbs Ierusalẽ, fiat mea non memor unquàm
Dextra mei, mea lingua meis & adhæreat arens
Faucibus, æterno nisi te cõplectare amore! d.

d. Paulinus in Psalm. 136.

Finit liber secundus.



Adiuro vos, filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo. Cantic. 5. v. 8.



BIBLIOTEKA
GDAŃSKA

SVSPIRIA
Animæ Amantis.

I.

Adjuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei: quia amore langueo. *Cant.* 5, 8.

Cœlestes animæ, Solymæ cœlestis alumnæ,
Quæ teritis niveo cærula templa pede;
Vos ego, vos numquam violando carmine testor,
(Si meus est vobis fortè repertus amor)
Dicite, quòd cœca, sic ejus languео flamma,
Languet ut Assyrio flosculus ustus agro.
Nēpe suas nuper cùm spargeret ille sagittas,
Delituit propriis mistus arundinibus:
Et summa trifidi præfixus cuspide teli,
Cor mihi, ceu Parthi, canna reduncа fidit.
Ah quibus, ah quantis tum pectus amoribus arsit!
Non furit Ætneo sævior igne rogus.

Nunc

Nunc igitur cupidus de me si plura rogabit,
(Namq; solent cupidi multa rogare proci)
Dicite, languentis quæ sit mea visa figura;
Pluraq; languentem non potuisse loqui.
Si roget; andento mihi febris inæstuet igne?
Dicite, quod nullo febris ab igne coquar.
Si roget, an mortis propior sim visa periclo?
Dicite quæ vobis, ore tacente, loquor.
Dicite, nulla meis vos reddere nuncia verbis,
Sed fati tantùm reddere verba mei.
Si lubeat nostros tamen illi noscere vultus,
Nec grave sit vobis dicere, qualis eram:
Hâc, precor, aut simili, tum me depingite formâ.
Quâ sciat & morbi quæ sit origo mei.
Dicite, quòd jaceam tenebris ex sanguis obortis,
Succiduo in nudum corpore lapsa solum.
Sintq; hebetes oculi, mediâ ceu morte natantes,
Inq; sinu jaceat languida facta manus:
Nec rosa picta genis, neque viva corallia labris,
Venaq; vix, quamvis pollice tacta, micet:
Iamq;

Jamq; diu nullo constet me vivere signo,
Quàm quod anhelanti pectore sæpè gemã.
Quodq; mihi certam non possim fingere causſam,
Cur toties nullo læsa dolore querar:
Non possim, nisi fors gemitu se prodere cogat,
Qui gemitum toties pectore rupit Amor.
Hæc reor, hæc nostri fuit unica causſa doloris,
Et quid amans esſet nescii, amanſq; fui.
Hoc fuit, hoc toties me suſpirare coẽgit,
Per gremium injuſſa cùm flueretis aqua.
Hoc, fuit, ut quamvis toties aliena loquenti,
Illius assiduè nomen in ore foret.
Ergo meis, oro, Dilecto hæc dicite, verbis;
Illius immodicâ quod cremor ægra face:
Dicite, quòd lento sic torreor illius igne,
Vi rosa cœlesti torrida facta cane.
Dicite, quòd longâ sic ejus langueo flammâ,
Vt languent siccâ lilia cana coma.
Dicite quodq; mei causſa unica sit languoris,
(Qui simul est mortis causſa futurus) Amor.

Ad-

Adjuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis Dilectum meum, ut nuncietis ei: quia amore langueo. *Cant.* 5, 8.

PRobavit dilectionem suam nobis præclarus ille procus animarum nostrarú Christus, quâ adductus etiam tum, cùm adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est. Idcirco sponsa vicissim, amore incensa erga illum, qui ipsam dilexerat, demonstrat latens in se dilectionis telum, imò in pectore, hoc est, divininatis ipsius communicationem. Nam Deus est dilectio, quæ per fidei cuspidem in cor penetrat. *a*.

Sagittarius autem ejaculatus hoc telum, est ipsa dilectio. Et Deum esse dilectionem, sacris è litteris didicimus. Qui quidem Sagittam electam, Deum illum unigenam, ad eos mittit, qui servantur: Spiritu vitæ, triplicem cuspidis aciem inungens, (ea verò cuspis est fides,) ut eum in quem immissa fuerit, unà cum telo, & ipso Sagittario,

a. Nyss. oratione 13 in Cant.

tario, in unum colligat: quemadmodum Dominus inquit: *Ego & Pater veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Itaque videt jam anima per divinos gradus in sublime deducta dulcedinem dilectionis, tamquam telum in sese, quo vulnerata est, deque hujusmodi plagâ gloriatur, quùm ait: à dilectione vulnerata sum. O præclarum vulnus! ô dulcem plagam! per quam vita ad interiora penetrat, quasi quoddam ostium & januam sibi aperiens, quæ est facta per telum divisio! *f.*

Quàm pulcrum est, quàm decorum, vulnus à charitate accipere? Alius jaculum carnei amoris accepit, alius terreno cupidine vulneratus est; tu nuda membra tua, & præbe te jaculo formoso; si quidem Deus sagittarius est. Audi scripturam de hoc eodem jaculo; imò ut amplius admireris, audi ipsum jaculum quid loquatur: *Posuit me in sagittam electam, & in pharetrâ suâ servavit, & dixit mihi: magnum est tibi hoc vocari puerum meum.* Intellige sagittam, quid dicat, & quomodo à Deo sit electa. Quàm bea-

f. Nyssen. orat. 4. in Cant.

beatum est, hoc jaculo vulnerari! *g.*

Nec mirum si sponsus habeat plures sagittas, de quibus in 119. Psalmo dicitur: *Sagittæ potentis acutæ.* His sagittis & Cleophas, in itinere, cum altero vulneratus ajebat: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* Et in alio loco legimus: *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.* His sagittis totus mundus vulneratus & captus est. Paulus sagitta fuit Domini, qui postquam ab Hierosolymis usq; ad Illyricum missus arcu Domini, hùc illucque volitavit, ad Hispanias ire festinans, ut velox sagitta, sub pedibus Domini sui, Orientem Occidentemque prosternat. *h.*

Quid ergo dicam? quid faciam? quo vadam? Ubi eum quæram? vel quando inveniam? quem rogabo? quis nunciabit Dilecto meo, *quia amore langueo? i.*

O Vita, cui omnia vivunt, vita quæ das mihi vitam; vita quæ est mea vita! per quam vivo sine quâ morior; vita per quam resuscitor, sine quâ pereo; vita per quam gaudeo,

g. Orig. hom. 2. in Cant. *h.* Hier. epist. 104. ad Principiam. *i.* August. med. c. 40.

deo, sine quâ tribulor; vita vitalis, dulcis & amabilis, semper memorialis, ubi quęso es? ubi te inveniam, ut in te deficiam, & in te subsistam? propè esto in animo, propè in corde, propè in ore, propè in auribus, propè in auxilio, *quia amore langueo*, quia sine te morior? *k*.

Anxia vota, suis nesciunt esse contenta meritis; ideò alienæ precis mendicant suffragia: *Adjuro vos*, inquit, *filiæ Hierusalem*; vos nunciate, quibus patet ad dilectum familiaris accessus; vos nunciate, quæ nostis ex parte, quanta sit amatorii virtus langueris, quàm sit fortis ut mors dilectio. *l*.

Sed quorsum sic adjurat? Nónne Dilectus cuncta noverat. & in his amorem Sponsæ amantis? si Petrus dixit: *Tu scis, quia amo te*, quanto magis, ô dilecta, tam prudens, tam fidelis, per temetipsam absque internuntiis dicere poteras Dilecto, & frequenter sine dubio dixisti; dilecte nullum tibi absconditum est cor, nullius occultus amor, *tu scis, quia amore tui langueo*. Quorsum

k. Aug. soliloq. c. 1. in Cant. Canticorum,

l. Guilb. Abb. serm. 46.

sum igitur, tendit hæc adjuratio? Nonne ut percussa, percutiat? ut vulnerata, vulneret?

* Ut audientes filiæ tantum in matre vitæ futuræ, quæ non videtur, desiderium, in mente persentiant & ipsæ talem esse dilectum, ut jure propter ipsum quævis fastidiat hoc præsens seculum, jamque inter moras præsentis vitæ magis ac magis cupiant eum agnoscere, saltem per speculum, saltem in ænigmate. *m.* *

Nunciate ei, non quasi ignoranti (nihil enim ei incognitum est) sed quia gaudet, quæ novit de dilecta etiam ex aliis intelligere. *n.*

Narrate & annunciate, & exaudiet vocem vestram, ut refoveat vota mea, *Annunciate, quia amore langueo.* Non languet amor, sed languet amans; ubi viget amor, ibi viget languor, si absit, quod amatur; languet animus dum æstuantis voti nimietate conficitur; liquefactus se fugit animus amoris violentiam ferre non valens. Sic enim in consumptâ materiâ & jam deficiente,

m. Rupert. in Cant. *n.* Guil. apud Delrio in Canticum.

te, languidiora redduntur ignis incendia. Et *Deus noster ignis consumens est.* ô potens & præpotens passio charitatis! si non temperatur, non toleratur. Jure potens, quæ animum, quem possederit, sui ipsius efficit impotem. *o.*

Annunciate, quia amore langueo, præ magno faciei ejus videndæ desiderio; vitæ tædium patior, & vix præsentis exilii moras sustineo. *p.*

Singultus de imis prodeuntes præcordiis, crebri gemitus, nónne sunt quædam eructationes spiritus & conceptæ gratiæ? nonne talibus indiciis se probat languor amoris? Non est occultatus languor, quando gemitus non est absconditus. Ipse se prodit languor, cùm hæc producit indicia. *q.*

Langueo in amore mei, præ amore Sponsi cœlestis. Amor ejus languidum & remissum in me facit amorem mei ipsius. Meo amori mortua, vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Sponsus. Me namq; amo,

R non

o. Guilb. Abb. serm. 64. in Cant. *p.* Rupert. in Cant. *q.* Guilb. Abb. serm. 66. in Cant.

non amore mei, sed amore sponsi qui me amat. Non amo me, in me, sed me in ipso, & ipsum in me. *r.*

Eja dulcissime Jesu, transfige saluberrimo vulnere amoris tui, medullas animæ meæ, ut verè ardeat, *langueat*, & liquefiat, & solo tu o desiderio deficiat; *cupiat dissolvi, & esse tecum.* Te solum semper esuriat panem vitæ, qui de Cœlo descendisti. Te sitiat fontem vitæ, fontem æterni luminis, torrentem veræ voluntatis. Te semper ambiat, te quærat, te que inveniat, in te dulciter requiescat. *s.*

r. Guilielm. apud Delrio in c. 5. Cant. *s.* Bonaventura soliloq. cap. 2.

II.

Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo. *Cant. 2, 5.*

O *Amor! ô quantis torres mihi viscera flammis!*
O Amor! ô animi blande Tyranne mei!
O Amor! ah tantos quis pectore comprimat ignes?
Parce, vel in vapidos dissolvor cineres.

Parce



Fulcite me floribus, Stipate me malis, quia amore langueo. Cantic. 2. 5.



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Parce Amor, ô toties repetitis parce sagittis!
In nova, pars animi, vulnera nulla vocat.
Parce Amor, & nocuæ procul abjice tela pharetræ,
Proxima quam jacies figet arundo necem.
Ah perii! neq; nota mihi suspiria duco,
Quæ sonat, ignoto vox ab amore sonat.
Scilicet arcanos penitus grassatus in artus,
Iam mea, victor ovans, regna subegit Amor. (gnes?
Me miseram! tantos nemo miserabitur ini-
Nemo vel è terris, nemo vel è superis?
Tuq; meus (tanti caussa unica qui tormenti es)
Tu meus, hæc sicco lumine cernis Amor?
Vos saltem Ætherii Cœlo properate coloni,
Vos, quibus à simili mens calet icta face:
Ferte rosas, date mala, & odoræ Chloridis herbas, (habet.
Quicquid & Alcinous, Floraq; quicquid
Ferte rosas, date mala ardentibus obvia flammis,
Mitior in malis est amor, inq; rosis.
Ferte rosas manibus, calathis effundite mala,
Fors erit hinc nostris certa medela malis.

Sed quid ago? quid posco rosas? quid postulo mala?
Est dolus in malis, est dolus in q3 rosis:
Forsan Amor falsi tegitur velamine mali,
Aut sua spiniferis occulit arma rosis.
Perjuro simplex malo delusa Cydippe est,
Et Venus armata cuspide læsa rosæ.
Nolo tuas Cytheræa rosas, tua mala, Cydippe,
Nescia perfidiæ mala rosasq3 volo.
Quales Dorotheæ superis tulit Ales ab hortis,
Canaq3 quas stupuit Bruma rubere rosas.
Quale tibi Elysiis venit, Luduina, viretis
Angelico carptum pollice liliolum.
Has mihi posco rosas, hæc mala, hæc lilia
Nescia perfidiæ lilia, mala, rosas. (posco,
His mihi vernantem viridi super aggere lectum.
Picta aquè puniceis sternite fulcra crocis.
Fiscina aquè lento fiat pulvinus hibisco,
Fiscina quam viridi farciat herba toro.
Iungite vimineis collecta ligustra quasillis,
Et pluat in laxos lutea Caltha sinus:
Iunceaque egregiis onerate canistra Hyacinthis,
Misceat & calyces Bellis amœna suos:

Spi-

Spicaquè Narcissusquè & apex stellatus Amelli,
Pulcraquè cærulæis cum Cyanis Anemon,
Et Nymphæa marina, immortalesquè Amaranthi,
Iridis & Violæ multi coloris opes.
Iunctaquè Smilacibus Pæonia regia parvis,
Cunctaquè quæ Pæsto divite serta virent.
Addite decerptas Arabo de cortice frondes,
Et Myrthum & Daphnen Cecropiumquè Thymum.
Serpillumquè Chamæmelumquè, Aloenquè, Ciperumquè,
Et Nardum & Tymbram, Cynnamaquè & Casiam:
Et Costum & Stacten, & olentis germen Amomi,
Et Cilicum totâ sternite messe solum.
Sternite, & hoc animæ quidquid super exspirandum est,
Roscidulis, sinite, elangueat in foliis.
Tunc ego sic moriens componam leniter artus,
Vt Rosa deciduas ungue resecta comas.
Aut moritura grave inclinãt Lilia culmos,
Quæque halant animas gramina messa suas.

Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo. *Cant.* 2,5.

CRevit amor, quia incentiva amoris plura solito processerunt. [sed] post illa omnia, Sponso (more suo) secedente; illa, languere amore se perhibet, id est, præ amore. Quò enim graviorem fuerat experta præsentiam, eo postmodum absentiam molestiorem sensit. Subtractio nempe rei quam amas, augmentatio desiderii est, & quod ardentiùs desideras, eo cares ægriùs. Rogat proinde ista interim odoramentis florum ac fructuum confoveri, quo usque denuò revertatur, quem molestissimè sustinet remorantem. *t.*

[Nempe] quod amantibus sæpè evenire solet puellis, ut præ amore ad illius quem depereunt absentiam, & corporis languorem & animi patiantur deliquium, hoc Sponsæ frequentius in Cantico Cant. evenisse comperimus. Nam in hujuscemodi deliquio constituta prima illa protulit verba:

t. Bern. serm. 51. in Cant.

ba: *Osculetur me osculo oris sui*, hanc ægritudinem sese opprimentem, Sponso, ut nuncient, socias supplicibus exorat verbis; cùm defatigata jam esset in illo quærendo, dicens? *Adjuro vos filiæ Hierusalem, si inveneritis Dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo*; quin imò & hoc ipso amore, eadem in somnum dicitur incidisse, ita ut Sponsus eam miseratus, in ea ipsa proruperit verba. *Adjuro vos, ne suscitetis.* At nullibi sanè clariùs describitur istiusmodi ejus deliquium, quàm in præsenti sententiâ, in quâ ipsamet ægritudinem suam, simul cum illius causâ exprimens illa exposcit remedia, quæ præsentanea iis exhiberi solent, qui talem patiuntur languorem, flores, odores, vina, & poma.*u*.

Bonus certè languor, cùm infirmitas hæc non sit ad mortem, sed ad vitam, ut glorificetur Deus per eam. Cùm ardor, febrísve ista, non sit ab igne consumente, sed ab igne potiùs perficiente. Porrò quod advertitur in ægritudinibus corporalibus, ut languens (cùm sibi integrum non sit vo-

u. Gislen. in c. 2. Cant. expos. 1.

luptatem capere exciborum varietate, vel gelidarum refrigeratione) ne omni penitus careat delectatione, cubiculum sibi curet viridi fronde convestiendum, ac variis & odoratis floribus, promisve exornandum, quibus visum & defessum mœstúmve soletur animum: Illud idem prudens efficit anima, quę ardentissimo laborans Divini amoris languore, cùm humanos gustus nequeat percipere, divina verba audire exoptat, & toto laborat studio, ut actiones, operaque sibi recenseantur Christi dilecti sui, & istiusmodi florum ac pomorum suavissimo odore ac pulcritudine, vires sibi ad serviendum Deo, & spiritus suppeditandos confidit. x.

Fulcite me floribus, ô columnas admirabiles! ô nova fulcra! quomodo flores columnæ fiunt? quomodo queunt retinere nutantem? quid nisi sustineant, nixam lacerti fortissimorum athletarum & gigantum, quorum robur inexpugnabile fuit? quídni sunt columnæ, & quidem adamantinæ, quæ duratione sunt æternæ, celsitate cœlum, altitu-

x, Idem ibid. expos. 3.

titudine, (inferno terribiles) ad tartara usque penetrârunt. *y*.

Stipate me malis. Non vult super fundamento Christi ædificare lignum, non fœnum, non stipulam; quia hæc ignis absumet; sed poma suavissima. *z*.

Quodnam enim spectaculum elegantius excogitare quis possit, malorum compositione? cum ordine continuo fructus, hîc bellè collocatus atque in loco confertim positus varietatem quamdam aspectui exhibet; rubedine, cum colore subalbo, permistâ. *a*.

Sponsa [verò] quia amore languet; fulciri se floribus, & stipari malis appetit; quia; dum se æternitatis desiderio afficit; dum, qualiter illuc perveniat, totâ anxietate perquirit (eò quòd perfectionem, dum in carne vivit, omninò non invenit) fatigata in desiderio suo requiescit; & in hoc solo gaudet, si circa se respicit, vel quibus ipsa proficiat, vel in quorum profectione consolationem, de languore suo, recipere possit. *b*.

y. Delrio in c. 2. Cant. *z*. Ibid. *a*. Greg. Nyss. orat. 4. in Cant. *b*. Greg. Magnus in c. 2. Cant.

Fidem [ergo] florem; fructum, actum intellige. Nec incongruè ut opinor id tibi videbitur, si advertas quomodo instar floris necessario præcedentis fructum, bonũ quoque opus, fide oporteat præveniri. Alioqui sine fide, impossibile est placere Deo. Itaque nec sine flore fructus, nec sine fide, opus bonum. Sed & fides sine operibus mortua est; sicut inutiliter quoq; flos apparet, ubi non sequitur fructus. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cùm præsto est quod amatur, viget amor; languet cùm abest: quod non est aliud, quàm tœdium quoddam impatientis desiderii, quo necesse est affici mentem vehementer amantis, absente eo quem amat; dum totus in expectatione, quantamlibet festinationem, reputat tarditatem. Et ideò ista postulat sibi accumulari bonorum operum fructus, cum fidei odoramentis, in quibus moram faciente sponso, interim requiescat. c.

* Prorsus flagrat Sponsâ, ac plànè ardet desiderio Sponsi, qui dicitur pomum è sil-

vâ,

c. Bern. serm. 51. in Cânt.

vâ, cupitq; illum semper esse hæc omnia, cibum, delicias, umbram, & stipationem, & tectum: quemadmodum & ipsa erga illum, hæc universa est: Sponsa nimirum, & sedes, & cubile, & domus. *d.*

Is qui in silvâ naturæ nostræ, ob suam erga genus humanum benevolentiam, germinavit, eo ipso quod carnis ac sanguinis particeps factus est, quasi Malum quoddam existit. Nam in hoc fructu videre est quiddam, quod cum utroque, nimirum carne & sanguine, similitudinem aliquam habeat. Nam ratione coloris subalbi, carni quod proprium est imitatur: rubedinis specie, congnatio quasi quædam cum sanguinis naturæ indicatur. *e.*

Floribus omnigenis fultâ, circumdate malis
Me vos vicinæ, quia cor mihi lãguet amore:
Vos animæ sanctæ Virtutum robora nactæ,
Vivendi normam vestram mihi tradite formam,
Vi bona caperitis quæ jàm perfecto tenetis.
Languida sum mundo Sponsi faciẽ sitiundo. f.

R 6 Flo-

d. Theodoretus in Cant. *e.* Greg. Nyssenus. orat. 4 in Cant. *f.* Willeramus Abbas in Cant.

Flores & mala sunt dicta & facta suavissima Christi quorum meditatione anima pia, languens ejus desiderio, se sustentat & roborat, donec eum à facie ad faciem videat.g.

Conjuncta ergo anima Dei verbo, introducta in intelligentiam legis, discurrendo per singulos apices Scripturæ, & singula vasa cellæ vinariæ, divinorum librorum degustando sapores, quasi inebriata lætitiæ vino semper futuræ beatitudinis, cur ad eam tardè perveniat, dicit se amore languere. Illo procul dubio amore, de quo Propheta dicit: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei?* Et de quo B. Paulus dicebat: *Desiderium habeo dissolvi & esse cum Christo.h.*

g. Titelmannus apud Corn. à Lapide. h. Aponius lib. 3. in Canticum.

III.

Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. *Cant. 2, 16, 17.*

Fe-



Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia. donec aspiret dies et inclinentur umbræ.
Cantic. 2. v. 16. 17.



BIBLIOTEKA OSOLINEUM

FElices animæ populus genialis Amantũ,
Quas amor irruptâ nectit utrimq; fide!
Non ego præ vestrâ, fortunam optavero Regum;
Nam puto Cœlicolûm vos ego sorte frui.
Sed neq; jam Siculi mirer nova vota Tyranni,
Optantis, Pythiæ tertius esse Comes.
Ecquis enim sociis medius neget esse duobus,
Quos sibi tam sancto fœdere junxit Amor?
Aurea conditio, quoties redamantur amantes,
Reddit & alternas mutua flamma vices!!
Hâc ego me toties optavi lege beatam,
Ad sua cùm trepidam signa vocaret Amor.
O quoties dixi; si quando cogar amare,
Non nisi qui pariter me redamârit, amẽ!!
Audiit optantem volucrum improbus author amorum,
Et quid, ait, dubitas? ut redameris, ama.
Vicino extimui fallacis Numine Divi,
Attonuit q; meum vox inopina caput.
Ecquid inexpertam puer, inquã, perfide captas
Auspiciis q; jubes ara merere tuis? (stris,

Sapè quidem juveni mihi narravere sodales
Gaudia, quanta suis polliceatur Amor.
Sapiùs at contra monuit me sedula nutrix,
Cùm veherer gerulæ sarcina parva sinu.
Vera nimis reputa Peligni oracula vatis,
Quæ cecinit castis ingeminanda choris:
„ Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hyblâ,
„ Cærula quot baccas Palladis arbor habet;
„ Littore quot conchæ, tot sunt in amore dolores,
„ Res est solliciti plena timoris Amor.
Semper enim miseros timor ille flagellat amantes,
Ne fors non redamet, quem tamen alter amat.
Fida vel alternis si sint rata fœdera vinclis
Tu gravis, ut constent fœdera, cura subit.
Curre per historias; quotus, heu! securus amavit?
Hunc brevis, hunc fictus ludificavit Amor.
Quâ Paris Oenone sine vivere posse negabat.
Oenomen potuit deseruisse Paris.

Dilectis

Dilecti Hypsyphile non mansit Iasonis uxor,
Non mansit reducis, sicut eunuis erat.
Thesea crudelem quoties Ariadna vocavit,
Navigio numerum questa deesse suum?
Quin etiam levibus monstras, Puer improbe, pennis, (mor.
Quàm citò succedat, quàm citò cedat a-
lte igitur, levibusq; animas modò credite flammis
Cùm sua non aliter sceptra Cupido gerat.
» Et levis est multoque suis ventosior alis,
» Gaudiaquè ambiguâ datquè negatquè fide.
Tu pudor audaces tinxit tibi, perfide, malas,
Teq; levem celeri fassus es esse fugâ.
Tuncq; ego, Cyprigenæ detectâ fraude, triumphans,
Instabilem jussi læta valere Deum.
Et tibi, Dius Amor (dixi) tibi fœdera jungam.
Et tuus ignis ego; tu meus ignis eris.
Donec ab aëreis labentur montibus umbræ,
Et reducem fugient umbraq;, noxq; diem.
O liquidæ ambrosiæ! ô Divini nectaris hau-
O amor! ô quanti pocula mellis habes! (sti!

Quid

Quid totis Te, Dius amor, sit amare medullis,
Expertus nisi sit, dicere nemo potest:
Quid verò sit amare, iterumq; abs te redamari,
Sic licet expertus, dicere nemo potest.
Omnibus his q̃ etiam supereminet illa voluptas,
Fidus hic æternum quòd sibi constet amor.
O Amor! ô mea dulcedo! mea vita, meũ mel!
Aut melli geminum si quid Hymettus habet!
O Amor! ô quoties, ô quæ mihi gaudia misces,
Dum, quòd amans redamer; dum, quòd amere, subit!
Dumq; iterum æternos recolo fore fœdere nexus!
O Amor! ô quantis gestio lætitiis!
Non habet hic miseros Amor, ut levis ille, timores:
Affluit hic lætis, ingemit ille malis.
Pascitur in riguis, ubi candent, lilia, campis,
Et sua Virgineos ducit in arva greges.
Scilicet æthereum decet hic flos purus Amorem,
Et benè tam castas pascit hic hortus oves.

Dile-

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia; donec aspiret dies & inclinentur umbræ. *Cant. 2, 16, 17.*

QVid est hoc quod dicit, *Ille mihi, & ego illi?* Nescimus quid loquitur, quia non sentimus, quod sentit. O sancta anima, quid tuus ille tibi? quid tu illi? Quænam, quæso, hæc inter vos tam familiariter favorabiliterq; discurrens exhibitio & redhibitio? tibi ille, tuquè vicissim illi; sed quid? id ipsum ei tu, quod tibi ille? an aliud? si nobis, si ad nostram loqueris intelligentiam, evidenter quod sentis, edicito: quousq; animas nostras tollis? An secundùm Prophetam, secretum tuum tibi? Ita est. Affectus locutus est, non intellectus; & ideò non ad intellectum. Ad quid ergo? Ad nihil, nisi quod mirabiliter delectata & affecta vehementer ad desideratos affatus, finem illo faciente, nec tacere omninò quivit, nec tamen, quod sensit exprimere. Neq; enim ut exprimeret, sic locuta est, sed ne taceret. Ex abundantiâ cordis, os loçutum

est;

est; sed non pro abundantiâ. Habent suas voces affectus, per quas se etiam cùm nolunt, produnt. Timor, meticulosas; dolor gemebundas; amor jucundas. Ejusmodi certum est, non nutu prodire animi, sed erumpere motu. Sic flagrans ac vehemens amor præsertim Divinus, cùm se intrà cohibere non valet, non attendit quo ordine, quâ lege, quâve serie, seu paucitate verborum ebulliat, dummodo ex hoc nullum sui sentiat detrimentum. Interdum nec verba requirit, interdum nec voces omninò ullas; solis adhuc contentus suspiriis Indè est quod sponsa sancto amore flagrans, idq; incredibili modò, sanè pro captandâ quantulacumq; evaporatione ardoris quem patitur, non considerat, quid, qualiter eloquatur, sed quicquid in buccam venerit, amore ingenti, non enunciat, sed eructat *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Nihil consequentiæ habet, deest orationi. Quid indè? Ructus est. Quid tu in ructu? quæras orationum juncturas, sollemnia dictionum? quas tu, tuo ructui leges imponis vel regulas? Non est dubium; duorum quidem hoc

loco

loco amor mutuus flagrat; sed in amore summo, unius profectò felicitas, alterius mira dignatio: neque enim inter pares est consensio seu complexio hæc ait itaque: *Dilectus meus mihi, & ego illi*, principium *Dilecto* tribuens; in consequentibus; *Ego*, inquit, *Dilecto meo, & Dilectus meus mihi*: consummationem æquè illi concedens. Nunc jam videamus quid dicat: *Dilectus meus mihi*. Si enim hoc recipitur, ut subaudiamus, intendit, & sicut Propheta ait: *Expectans expectavi Dominum & intendit mihi*: ego in verbo isto sentio, nescio quid, non planè exiguum, nec mediocris prærogativæ. *i.*

Audite gaudium meum quod sensi; & vestrum est, audite gaudentes sponsa locuta est, & dixit, sponsum intendere sibi. Quæ est sponsa, & quis est sponsus? Hic, Deus noster est; & illa, si audeo dicere, nos sumus; gaudeamus. Nos sumus in quos intendit Deus. Quanta tamen disparilitas! quid terrigenæ & filii hominum coram illo? quid sibi vult ergo ista inter tam dispa-

res

i. Bern. serm. 67. in Cant.

res comparatio? Aut illa in immensum gloriatur, aut is in immensum amat. Quam admirabile est quod illius intentionem ista quasi sibi propriam vendicat, dicens: *Dilectus meus mihi.* Nec eo contenta tamen pergit amplius gloriari; respondere se illi, quasi ex æquo morem gerere, rependere vicem. Sequitur enim, *& ego illi*; insolens verbum, *& ego illi*; nec minus insolens: *dilectus meus mihi*, nisi quod utroque insolentius, utrumq; simul. O quid audet cor purum & conscientia bona, & fides non ficta! *Mihi*, inquit, *intendit.* Itáne huic intenta est illa majestas, cui gubernatio pariter & administratio universitatis incumbit & cura sæculorum, ad sola transfertur negotia, imò otia amoris & desiderii hujus. Ita planè. Providentiam cæteris creaturis non negamus; curam sponsa vindicabit sibi. [Sed &] propterea utrumque ponit, dicens: *Ille mihi & ego illi.* Ille mihi, quia benignus & misericors est; ego illi, quia non sum ingrata; Ille mihi gratiam ex gratiâ; ego illi gratiam pro gratiâ; Ille meæ liberationi, ego illius honori; ille saluti meæ, ego illius

illius voluntati; ille mihi & non alteri, quoniam una sum columba ejus; ego illi & non alteri, nec enim audio vocem alienorum. *k.*

Anima [enim] ex eo quod se diligere & vehementer diligere sentit, etiam diligi nihilominus vehementer non ambigit, ac de suâ singulari intentione, sollicitudine, curâ, operâ, diligentia, studioquè, quo incessanter & ardenter invigilat, quemadmodum placeat Deo, æquè hæc omnia in ipso indubitanter agnoscit, recordans promissionis ejus; *in quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis*, ergo nec dubitat se amari, quæ amat. Ita est. Amor Dei amorem animæ parit. *l.*

* Dilecti mei amicitiam constanter teneo, quia ejus constantem erga me benevolentiam sentio. *m.*

Ergò non pavida, non de salute incerta, ingreditur Sponsa in supernorum mansiones, sed tanquam in Dilecti domum & in propriam possessionem. Non temerariè sed

k. Bern. serm. sequenti Cant. *l.* Bern. serm. 69. in *m.* Gregor. Magn. in Cant. h. l.

sed confidenter in atria intrat Sponsi. Nam etsi aliâs advena illius sanctæ fuerit civitatis, nunc verò civis effecta est Sanctorum, & Sponsa VERBI, cui ex amoris privilegio, omnia quæ sunt Sponsi debentur. Amor quippe verus nil privatum habet, nil proprium: suâ sequè gratanter impertitur; eâ quoquè lege, eademquè charitate, quâ largitur propria, utitur alienis. Ex amoris igitur mutui exuberantia tanta est inter VERBUM & Animam familiaritas, locutionis fiducia, gloriæ certitudo, & conditionis inconsideratio. *n.**

Et unde tibi, ô humana anima, unde tibi hoc? unde tam inæstimabilis gloria, ut ejus sponsa mereris esse, *in quem desiderant Angeli prospicere?* unde tibi hoc, ut ipse sit sponsus tuus, *cujus pulcritudinem Sol & Luna mirantur*, ad cujus nutum universa mutantur? Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? ut sis socia mensæ, socia Regni, & socia thalami ut introducat te Rex in cubiculum suum, vide quibus

n. Laurent. Iustin. de Casto Connubio Verbi & Animæ cap. 25.

bus brachiis vicariæ charitatis redamandus, & amplectendus sit, qui tanti te æstimavit, imò qui tanti te fecit. Desere carnales affectus, sæculares mores dedisce, consuetudines noxias obliviscere. Quid enim putas? Nónne stat Angelus Domini, qui secet te mediam, si fortè (quod avertat ipse) alterum admiseris amatorem? *o.*

Zelotypus est sponsus iste si fortè alium amatorem acceperis, si aliis placere studueris, statim discedet à te; & aliis adhærebit adolescentulis. *p.*

Quis huic jam imputet præsumptioni vel insolentiæ, si se dicat iniisse societatem cum illo qui pascitur inter lilia? etiamsi inter sydera pasceretur, eo solo quo pasceretur, nescio quid magnum videri possit, cum ejusmodi amicitias seu familiaritatem habere. Non ignorat [sponsa] unum esse, & qui nascitur, & qui pascitur, inter lilia commorantem, & regnantem inter sidera: Nam qui in altissimis est Dominus, in imis est Dilectus; super sidera regnans, & inter lilia amans.

o. Bern. serm. Dom. 1. post octa. Epiph. *p.* Augustin. tomo 9. c. 9. Auth. Scalæ paradysi.

mans. Amabat & super sidera, quia nusquã & numquam potuit non amare, quia amor est: sed donec ad lilia descendit, & pasci inter lilia compertus est, nec amatus est, nec factus dilectus; quia non potuit antè diligi quàm agnosci, ô verè amandum & totis medullis cordis amplectendum sponsum! quærenda in spiritu hæc refectio inter lilia; nam corporea cogitare, ridiculum est. Quin ipsa lilia spiritualia à nobis demonstranda erunt. Quæ ergo sunt illa lilia è quibus species decoris ejus? *Procede*, inquit, *& regna, propter veritatem & mansuetudinem & justitiam.* Bonum lilium *veritas*, candore conspicuum, odore præcipuum. Est & *mansuetudo.* Quod autem *justitia* lilium sit, recordamini de scriptura; quia *justus germinabit sicut lilium.* Sunt multa apud sponsum, & alia lilia præter hæc: quis illa enumeret? nempè quot virtutes, tot lilia. Et fortasse propterea ipse se lilium appellavit, quòd totus versetur in liliis; & omnia quæ ipsius sunt, lilia sint: conceptio, ortus, conversatio, eloquium, miracula, sacramenta, passio mors, resurrectio, ascensio. Quid ho-

horum non candidum, & non suavissimè redolens? q.

Nimirum hic est præclarus ille pastor, qui non fœnum gregi, pabuli loco præbet, sed puris liliis oves alit, non ampliùs fœno fœnum nutriens. Est enim fœnum brutorum naturæ proprium, ac peculiare alimentum; homo autem, cùm rationis sit particeps, verâ ratione pascitur. Quod si ejusmodi fœno saturaretur, & ipse in fœnum commutaretur. Est enim præscriptum, *omnis caro fœnum est*; quam diu scilicet caro existit; at si quis spiritus fiat è spiritu progenitus, non amplius victu gramineo pascetur, sed spiritus ei pro nutrimento erit, id quod puritas & fragrantia lilii obscuriusculè denotat. Quin etiam ipse, lilium fragrans ac purum erit, in naturam ipsius alimenti commutatus, atque hoc sibi vult; *Dies per radios diffusa* sive *perflans*, quemadmodum Divina vox loquitur, cùm diffusionem, per spiritum radiorum factã, *perspirationem* appellat, per quam umbræ hujus vitæ removentur, in quas studiosè

S defi-

q. Bern. serm. 70. in Cant.

defixis oculis respiciunt, qui necdum luce veritatis animi oculum illustrarunt, qui umbram ac vanitatem sic intuentur, quasi revera quiddam subsistens, quod autem verè existit, quasi non existeret, negligunt. At qui liliis vescuntur, hoc est, quorum animus ex puro ac fragranti alimento pinguescit, omni fraudulentâ, amorisquè consimili rerum specie (quæ res hâc in vitâ caræ ducuntur) rejectâ ad veram ipsarum rerum substantiam respiciunt, effecti lucis ac diei filii. *r.*

Tu ergo qui hæc audis, vel legis; cura habere lilia penes te, si vis habere hunc habitatorem liliorum habitantem in te. Opus tuum, studium tuum, desiderium tuum lilia esse protestentur, moralis quidam rerum iplarum candor atque odor. Habent & mores colores suos, habent & odores. De colore. Conscientia consultetur; de odore, fama: sponsus itaq; & cùm sit virtus; in virtutibus complacet sibi; & cùm sit lilium, libenter inter lilia commoratur; & cùm sit candor, delectatur candidis. *s.*

Oa-

r. Nyssen. in orat. 4. in Cant. Cantic. *s.* Bern. ser. 71. in Cant.



Ego dilecto meo, et ad me conversio eius.

Cantic. 7. v. 10.

BIBLIOTEKA OSOLINEUM

O anima mea, insignita Dei imagine, dilige illum, à quo tantùm dilecta es! Intende illi, qui intendit tibi! Quære quærentem te, ama amatorem tui, à quo amaris; cujus amore præventa es, qui est causa amoris tui. Esto sollicita cum sollicito, cùm vacante vacans, cum mundo munda, cum sancto sancta. Elige illum amicum præ omnibus amicis tuis, qui cùm omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit: in die sepulturæ tuæ, cùm omnes amici tui recedent à te, ille te non derelinquet, sed tuebitur à rugientibus præparatis ad escam. t.

t. Aug. manuali c. 24.

IV.

Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus. *Cant. 7, 10.*

MOesta cupressiferi memoris spatiabar in umbrâ.
Tristitiam lacrymis compositura meis:
Iamq; sinum tepidis submersurat imbribus unda,
Concideramq; meis panè subacta malis.

Fors Chelys ex humeris pendebat eburnea nostris,
Mœstitiæ quondam certa medela chelys:
Obruta tristitiâ frondente sub arbore sedi,
Associans querulis talia verba modis:
Ergo mei vidui, sine lusibus, ibitis anni,
Nullus & in nostro carmine vivet amor?
Ah! precor, eveniant hæc hostibus omina nostris, (dani!
Et procul his flammæ tam bona tela cavi!
Vivere se juret, non hunc ego vivere credam,
Qui trahit hoc vacuos frigidus igne dies.
Unicus est homini, vivendi fructus, amare;
Solus amans, vixi, dicere jure potest.
Qualis, in ima, suo desidit pondere tellus,
Et subit aëreas, ardua flamma, vias;
Nos ita fax animi, violento cogit amore,
Abripimurq; omnes, impete quisq; suo.
Me quoq; nativâ stimulari sentio flammâ,
Visq; adhibet tacitas, nescio, quanta faces.
Quo meus ergo suos Amor ejaculabitur ignes;
(Primitiæ nostri nam q; caloris erunt)
Auferar humanæ furiata Cupidine tedæ,
Cognata Angelicis, stirpsq; sororq; choris?

Aut

Aut mea mortales venient in colla lacerti,
Quæ sum immortali Sponsa creata Deo.
Ah, super hâsce hiemes, nostri rapiuntur amores,
Terra parem thalamis non habet ista meis.
Nympha puellarum pulcerrima Romuleārum
Agnes, Ausōnio sponsa petita proco;
Absit, ait, juvenis mea ne tibi fœdera speres,
Iam mea cœlestis fœdera sponsus habet.
Sic nostra ætherios ambit quoque fax Hymenæos,
Inde petendus erit qui mihi sponsus erit.
Hunc ego, non alium, solum hunc ego dilāgo sponsum.
Nemo potest [illegible] tempore amare duos.
Illius ante oculos mihi semper oberrat imago,
Ante oculos, quamvis longius absit, adest.
Et loquor absenti momentis omnibus, absens,
Absentisq; sonos illius aure bibo.
Sic ubi magnetis vim ferrea linea sensit,
Semper ad agnati vertitur alta poli.
Et sua Sidoniis patet hinc Cynosura carinis,
Servat & hinc Helicen cymba pelasga suam;

Sic læsi sequeris studiosa pedissequa Phœbi
Dilectam Clytie, flos modò facta, facem:
Bisq; die quovis, versò jubar ore salutans,
Manè precaris Ave: serò precare Vale.
Obvia fraternos ita spectas Cynthia vultus,
Et reparat vultus ignibus ille tuos.
Sponse, ego sum Clytie, Tu Sol; ego Cynthia, Phœbum
Quâlibet obversò persequor ore meum:
Es mihi sponse, Helyce, Cynosuraq; duplicis Arcti
Quo trahis, huc oculis ad tua signa volo.
Quid mirum, alterno si respondemus amori?
Magnetem sequitur linea tacta suum.

Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus. *Cant.* 7, 10.

* EGo fratrueli meo meipsum consecravi, & alienam tùm Gentilium, tùm Judæorum, tùm hæreticorum consuetudinem contempsi: Nam ipse quoquè me cæteris antetulit, & ad me se convertit. Cùm enim prius ubi reclinaret caput non haberet, jam reperit ubi illud reclinet: cumque multas habeat concubinas, & Reginas

ginas & adolescentulas, me omnibus ante ponit. *u*.

Simile dat Aristot. Ethic. 1. Sponsa, ait, ad Sponsum respicit, ipsamquè desiderat; sicut terra arida cœlum respicit ejusquè imbrem sitit: ac vicissim cœlum ad terram respicit, ipsiquè suam pluviam & influxum communicare appetit, ut ipsam gravidam, germinumquè & fructuum feracem efficiat. *x*.

Hujus rei symbolum est herba sive flos, qui dicitur Heliotropium, id est, ad Solem conversio. Sicut enim hic cum Sole, etiam nubilo die, se circumagit, omnibusquè horis cum eo vertitur; sic anima Christum amans, in eum jugiter respicit, ut semper cum eo versetur, ac se per mysteria Vitæ & Passionis ejus, quæ toto anno vicissim repræsentat Ecclesia, circumagens, perpetim eodem omnem suam cogitationem, voluntatem & amorem defigit. Porrò sicut Sol radiis suis florem hunc circumagit, & ad se conversionis primus est author: suâ e-

S 4 nim

u. Theodoretus in Cant. Canticorum. *x*. Corn. à Lapide in h. l.

nim gratiâ animam ad se allicit, demulcet, inescat, ut jugiter ab ejus quasi matris uberibus pendere se gaudeat. *y.**

Impossibile est, ut non semper humana natura aliquid amet, omnis namque qui ad id ętatis venerit, quam pubertatem vocant, amat aliquid, seu minùs rectè, cùm amat, quæ non oportet; seu rectè & utiliter, cùm amat quæ oportet. *z.*

Cor meum per multa dispergitur, & huc, illucque quærit ubi requiescere possit, & nihil invenit, quod ei sufficiat donec ad ipsum redeat. *a.*

Duo enim amores, alter bonus, alter malus; alter dulcis, alter amarus, non se simul in uno capiunt pectore. Et ideò si quis præter te aliud diligit, non est charitas tua, Deus, in eo, amor dulcedinis & dulcedo amoris. Amor non crucians, sed delectans, amor sincerè castèque permanens in sæculum sæculi, amor qui semper ardes & numquam extingueris, dulcis Christe bone Jesu, charitas, Deus meus, accende me totum igne

y. ibidem. *z.* Orig in prologo. Cant. *a.* Bernard. med. c. 9.

igne tuo, amore tui, suavitate & dulcedine tuâ, ita ut nullus pateat in me locus adulterinis amoribus. *b*.

Nam Christo & mundo quisquis partitur amorem,
Hujus amor planè levis est & frigidus, atqui
Totam animi flammâ penitùs defixit in uno,
Ille procul dubio, constans & certus amator.
Quin etiam latomi sollertes, quiq; fabrilem
In lignis artem exercent, cùm linea recta
Quæritur, exactâque operâ captatur amussis,
Ex oculis unum claudunt, & lumine toto
In socium fuso, visus acieque coactâ,
Recta sequente tenent duro vestigia ferro.
Sic collectus amor, propiùs conjungit amantem
Pectora casta Deo; cupientem qui cupit, atq;
Cernentem cernit, sitque obvius advenienti,
Quem quo plus quisquam cupit, hoc magè cernit eumdem,
Quoquè magis cernit, tantò magis expetit illum
Cernere: Sicquè bonus semper convolvitur orbis. *c*.

S 5 Carissi-

b. Aug. med. cap. 35. *c*. Nazianz. de laudib. Virgin.

Carissima illa est, una uni, non adhærens alteri sponso, non cedens alteri sponsæ. Quid ista non audeat apud tam ambitiosum amatorem? *d.*

Paveant quæ non amant. Ego verò amans, amari me, dubitare non possum, non plus, quàm amare: nec possum vereri vultum cujus sensi affectum. *e.*

Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilaverint ad me, invenient me. Vide quomodo non solùm de amore suo certum te reddat siquidem tu ames illum; sed etiam de sollicitudine suâ quam pro te gerit, si te senserit esse sollicitum sui? vigilas tu? vigilat & ille. Consurge in nocte in principio vigiliarum tuarum, accelera quantum vis, etiam ipsas anticipare vigilias; invenies eum, non prævenies. Temerè in tali negotio vel prius aliquid tribuis tibi vel plus: & magis amat & antè. *f.*

Reperiuntur imagines quædam eo artificio à peritis pictoribus depictæ, ut quacumque ex parte inspiciantur, semper videan-

d. Bern. serm. 68. in Cant. *e.* idem serm. 69. in Cant. *f.* ibidem.

deantur habere oculos ad intuentes conversos. Hujusce modi sanè imagines, ex parte suâ, semper ad quoscumq, conversæ sunt qui in illo reperiuntur cubiculo, ubi ipsæ fuerint: quod si quis minimè percipiat ab illis se respici, id haud ab eis, sed ab ipso provenit potiùs, qui suam avertit faciem; ideoquè ut primùm is ad illas sese converterit, eas pariter ad se animadvertet conversas. Quid simile & in re nostrâ fieri censendum est. *g.*

Ego dilecto meo, & ad me conversio illius. Ac si diceret: quoniam fide ac dilectione, soli Christo adhæreo, solum sequor, solum videre concupisco; respectionis ejus suavitatem, visitationis benignitatem, conversationis dulcedinem gaudenter experior. *h.*

Ille quippe singularis amor est, qui soli non adjungit alterum, & æternus, qui nec primo secundum. *i.*

Magna res amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat, un-

g. Gisl. in c. 7. Cant. expo. 3. *h.* Greg. Papa in Cant. *i.* Hugo de S. Vict. serm. de Assum.

de jugiter fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus atq; affectibus in quo potest creatura, & si non ex æquo, respondere auctori, vel de simili mutuam rependere vicem. Verbi gratia: si mihi irascatur Deus: num ego illi similiter redirascar? non utiq; Ita si me arguat, non redarguetur à me. Nec si me judicabit, judicabo ego eum. Si dominatur, me oportet servire: si imperat, me oportet parere. Nunc jam videas de Amore, quàm aliter sit; nam cùm amat Deus, non aliud vult quàm amari; quippe non ad aliud amat, nisi ut ametur; sciens ipso amore beatos qui se amaverint. *k*.

Revera hæc est vera cordis requies, cùm totum in amorem Dei, per desiderium figitur, nec quicquam aliud appetit, sed in eo quod tenet felici quâdam dulcedine delectatur, delectando jucundatur. Si verò vanâ aliquâ cogitatione, vel rerum occupatione, indè aliquantulum abstractum fuerit, summâ cum festinatione illùc redire festinat (exilium reputans alibi) quàm ibi moram facere. *l*.

Si

k. Bern. serm. 83. in Cant. *l*. Aug. manuali c. 29.



Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. cantic. 5. v. 6.

BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Si enim homo hominem tantâ diligit dilectione, ut alter alterum vix patiatur abesse: si sponsa sponso, tanto conglutinatur mentis ardore, ut præ magnitudine amoris, nullâ perfrui valeat requie, Chari sui absentiam non sine magno mœrore ferens; quâ dilectione, quo studio, quo fervore anima, quam desponsasti fide & miserationibus, debet diligere te, verum Deum, & pulcherrimum sponsum. *m*.

m. Aug med. cap. 25.

V.

Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. *Cant.* 5, 6.

TE semel ut cursim tantùm, mea vita, viderem,
Quot juga, quot sylvæ, quot loca visa mihi!
Vi semel audirem tantùm, mea vita, loquentem,
Ah! quot inaccessis rura petita viis!
Aëriy montes, metuendaq; culmina rupes,
Sexaq; sylvivagis vix adeunda feris.
Nec tamen, ecce, tui data spes fuit ulla videndi,
Vixq; vel alloquij spes fuit ulla tui, (dedi,

S 7 O quo-

O quoties dixi! quæ te, mea vita latebræ,
Quæ cava, quæ terra, quæ nigra lustra tegunt?
Sed neq; lustra meum, neque rus solata dolorem,
Respondit lacrymis sylva nec ulla meis.
Fors semel ignotos, me duxerat error in agros;
Solus ubi ante oculos campus, & error erant.
Metior hîc oculis Cœlos, clamoribus agros;
Sed neq; vox Cœlis, nec data vox ab agris.
Inde deerranti vallis se monstrat opaca,
Vociferor, nullus fit mihi valle sonus:
Ecce cavâ densum, procul haud à valle, viretum
Adjacet, æstivo textilis umbra gregi:
Hîc erit, hic forsan, dixi, mea, vita, latebit;
Heu dolor! ut vidi, nulla latebra fuit.
Ergo amens tandem lacryman sq; ad littora curro,
Littora, quæ fluis Nereë undis aquis:
Hîc Pharos ingenti se tollit in ardua clivo,
Vnde suam ratibus navita captat iter.
Scando Pharon, totoq; oculos circumfero ponto,
Et quantâ possum littora voce voco.

Lit-

Littora, littora, vos cautes, vosq; aquoris undæ,
An latet aquoreis lux mea mersa vadis?
Vix prior attigerat resonantia littora clamor,
Cùm citò littoribus vox geminata redit.
Ambigo, num scopulis fallax responderit Echo,
Et nimiùm pronâ luserit aure fidem:
Tristibus ergo iterum cava littora pulso querelis;
Littoribusq; iterum vox repetita redit.
Vox redit, & vox nota redit, Tua vox, mea vita,
Et mihi voce Tuâ, reddita vita fuit.
Ibam semianimis, subitò ad tua verba revixi,
Ne penitùs morerer, vox satis una fuit.
Scilicet ora loquens, quoties cœlestia sôlvis,
Magnum aliquid verbis, fulminis instar inest.
Ignivoma non quale nucis, testudine clausum
Efflabas Syriæ fraudibus, Euna, Deæ,
Quale sed in comites, Emmaûntia rura per-
Sparsisti stygiis Dux redivive plagis, (tetes.

Iris-

Frigida cùm subitis arserunt pectora flammis
Pectora colloquio, lux mea, tacta tuo.
Hinc mihi succensis caluit quoq; flamma medullis.
Ictaq; cœlesti vocis ab igne fui:
Et licet Oceano, gelidis licet undiq; saxis,
Undiq; cæruleis obsita cingar aquis;
Intus agum flammæ, sic liquor ab ignibus intus,
Liquitur ut lento pinea teda foco.
Outinam, mea vita, animam liquamur in unam,
Vnaq; vita duos jungat Amor q; duos!

Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. *Cant.* 5, 2.

QVid est hoc quod sentio? quis est ignis qui calefacit cor meum? quæ est lux quæ irradiat cor meum? ô ignis qui semper ardes & numquam extingueris, accende me! O lux, quæ semper luces, & numquam obfuscaris, illumina me! O utinam arderem exte, ignis sancte! quàm dulciter ardes,

ardes, quàm secretè luces, quàm desideranter aduris. *n*.

* *Dum mihi verba facit mentem misera liquefecit.*

Corporeæ molis quamvis vallata tenebris
Ad Sponsi faciem nequeam sustollere mentẽ,
Vipote quam vivi nequeunt homines speculari;
Sic tamen incalui monitoris voce salubri,
Vt mihi nil libeat, nisi tantum flere, quod artat
Corporis hoc vinclum me non pertingere ad illum. o. *.

Sicut cera fluit à facie ignis, sic anima succensa est à facie ejus; *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est*. quàm dulcis hora, quando anima huic igneo torrenti, liquefacta miscetur, quàm subtilis est in illo momento, quàm extenuata, quàm mobilis! Nihil tunc torporis habet, nihil duritiæ reliquum, nihil rigoris, tantum modo calens & liquens. Cognata sunt sibi invicem liquidum & calidum; in his duobus contemplationis usus consistit. Quod liquidum est, calo-

n. Aug. solil. c. 34. o. Willeramus in Cant. h. 11.

calorem citiùs concipit, & conceptus calor vice versâ, quod liquidum reperit, liquidius reddit. Quod dico calidum & liquidum, hoc aliis nominibus, est succensum & sincerum. O mira vis verbi & ignita vehementer! inflammat cor commutat renes, in nihilum (in conspectu suo respectu Dei sui) animum redigit; à seipso liquescere & deficere facit, ut jam anima non sit tecum. *p.*

Ausculta & recole, quid locutus Mariæ Magdalenæ, quid mulieri in adulterio deprehensæ, quid Samaritanæ, Chananææ, Zachæo, Petro, Centurioni? Ad torpietatis sermones & clementiæ, cujus non molescat affectus viscera liquescant! Ad tam vehementes flatus Austrinos, etiam de durissimo pectore, quantumlibet annosa poterat glacies dissolvi. Sentio me affluentis olei liquore perfundi & simili affectu liquescere, quoties misericordiæ tuæ opera & verba perfecta recenseo. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud. q.*

Dum

p. Guilb. Abbas ser. 44. in Cant. *q.* Ibid. supr.

Dum [enim] Christus se per spiritum suum animæ desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissolvit, & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, ut vix capere possit hoc quod se capere intra se exultat, & intus miretur quid fuerit & quid factam subitò seipsam videat. Quem liquorem dum sentit, perfectiùs apprehendere concupiscit, & aliquando dum hoc ipsum cogitat, hoc quod modò sentiebat, jam non sentit. *r.*

Quia nimirum mens dum occultæ locutionis aspiratione tangitur, à statu suæ fortitudinis infirmata, ipso quo absorbetur desiderio, liquatur. *s.*

Sed res corporeæ cùm per calorem extrinsecus liquefiunt, in semetipsas resolvuntur; animæ verò, cùm per calorem intimum liquefiunt, non in semetipsas resolvuntur, sed in resolventem. Resolvuntur à semetipsis, sed non in semetipsas; resolvuntur igne Dei, ab amore sui, in amorē sponsi cœlestis. Hoc Paulus insinuans, *qui adhæret*, inquit, *Domino unus spiritus est.* Et suam

4. Greg. M. in c. 5. Cāt. *s.* Greg. M. c. 39. in c. 3. Iob.

suam animam hoc modo liquefactam indicâs : *Vivo*, inquit, *ego, non jam ego, vivit autem in me* Christus. *r.*

Quid verò congruentius est quàm amori tribuere hanc liquefactionem, quâ id, quod alioquin durum est, redditur fluens; cùm exploratum sit eos esse præcipuos amoris effectus, ut amantem impellat ad amatum, eumdemquè cum illo uniat; quæ certè unio tunc fit pulcriùs, cùm amor ipse fit mutuus, atq; adeò & ambos amantes ad adulterutrum fluidos faciens. Nec ignoramus, dilectum piarum animarum Jesum Christum dixisse, in Psalmo 21. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens.* unde si liquefacta anima fluat ad Jesum, qui & liquefactus ut cera, fluit ad ipsam animam, quid exinde consequitur nisi perfecta unio; *u.*

Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est, ô mira & inæstimabilis virtus amoris! Deum inclinat ad terram, mentem elevat ad patriam & Deum & animam vel homi-

r. Guill. Abbas apud Delrio c. 5. Cant. *u.* Gisl. in c. 5. Cant. expos. 3.

hominem simul conglutinat ad gloriam; Deum facit hominem & hominem facit Deum; temporalem facit æternum, immortalem occidit, mortalem facit immortalem, & imum excelsum constituit, inimicum facit amicum, servum facit filium, & abominabile facit glorioſum, frigida facit ignea, obscura facit clara, dura facit liquida. Nam *anima mea liquefacta est.* O verbum admirabile! ô verbum nimium delectabile! Ego viliſſimus & nequiſſimus servus tuus Domine Deus meus, qui etiam non sum dignus aliqua creatura tua vocari, nec esse, quomodo sum tibi tanto vinculo charitatis colligatus, ut ad verbum tuum, præ amore, fuerim liquefactus? O ardor amoris qui intima mentis in Deum infundis! Nam adamantina erat anima mea; & ejus intima nimium solidata. Nunc amore liqueſcit, nunc extra se exit, & in Deum tota se diffundit, proprium locum relinquit, & in Deum currit, absorbetur à Deo & obliviſcitur sui. O amor! quid tibi tribuam, qui me feciſti divinum? *Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me* Christus. Inenarrabilis

lis est virtus tua, O amor, qui lutum in Deum transfiguras! Quid ergo te potentius, quid dulcius, quid jucundius, quid & nobilius, obsecro? O desiderabilis amor, qui summis deliciis reples egentes! sed si liquefacta es, ad verbum ejus, ô anima mea, quomodo sustines amplexus ejus? Quomodo non es assumpta ad oscula ejus? si liquefacta es ad affatum ejus, quomodo non es absorpta, cùm intras per vulnerâ & per venas, ad cor ejus? sed ô mira dulcedo, & mira jucunditas, ut quod non meremur nominare, possimus masticare! Non mereor esse ancilla, & facta sum in deliciis carissima: Quis sufficit tanti amoris, etiam scintillam minimam intueri! Non ergo mirũ, si ad verbum tuum, *liquescit cor meum*; immò de cætero, totus accendas, & totaliter *liquefiam*, ut in te totaliter sim effusus. Nihil præter te videam, nec in aliud, cogitata, dicta vel facta transeant ullo modo. Immò mirum videtur, quomodo non sumus sic intenti ad te, quod ignoremus omnia præter te. Si enim habemus te, quid amplius volumus? In te ergo, dulcissime Domi-



Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui
Super terram? Psal. 72. v. 24.

BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Domine Jesu, quiescat mens nostra, & à te nec ad modicum separetur! x.

x Bonaventura stimuli amoris, part. 1. c. 8.

VI.

Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? *Psalm. 72, 24.*

Quid cœlo, mea lux, terráve, mari ve requiram?
Nec cœlum sine te, terra, nec unda placet.
Non equidem ignoro, quæ, quantaquè gaudia Cœlum,
Terraq; quas fundat, undaq; condat opes.
Sed sine te, mea lux, mala sunt, quæcumque vel æther.
Vel tellus gremio, vel tegit unda salo.
O cœlum lô tellus lô cærula marmora ponti!
O tria deliciis regna superba suis!
Delicias cumulus vestras licet aggerat unus,
Non sint deliciæ, si meus absit amor.
Sæpè tulit, fateor, vaga per divortia mentem
Hinc Thetis hinc Tellus, arduus inde Polus.
Sed totum injectis, mundum si metiar ulnis.
Non tamen hæc ulnis par erit ulna meis.

Mens

Mens aliquando fuit gravidam recludere terram,
Æraquè divitibus vellere fulva cavis,
Aurumquè, argentumquè, nitentis germina venæ,
Quæque metallifero nutrit arena sinu.
Ferro igitur magnæ Matris suffodimus alvũ
Totaquè telluris gaza coacta fuit.
Quid juvat? aggestas licet aurum fregerit arcas,
Non tamen est animo nausea pulsa meo.
Ergo sub æquoreos rapuit me cura penates,
Quâ subit Eoas Indus adustus aquas.
Quidquid & aurifluis gemmarum nascitur undis
Carpere sub liquido gurgite fervor erat.
Et pressum roseis conchylibus edere rorem,
Rideret patulis purpura si qua labris.
Et sparsas rutilis baccas conquirere ripis,
Dives Hydaspæi quâ nitet unda vadi.
Hei mihi! tam vario lectis ex æquore gemis,
Littoribus totidem fluminis atque maris,
Tot cyanos tot chrysolitos tot jaspidas inter,
Nulla meæ potuit gemma sat esse siti.

Quid

Quid facerem, votis, terraquè, mariquè negatis?
Sidereos, dixi, vota subire lares.
Visa igitur superi circumvaga machina mundi,
Templaquè luciferis fulgida lampadibus.
Obstupui stabili currentes ordine flammas,
Astraquè perpetuos ducere nexa choros:
Interat indigenas tot Olympi pensilis ignes,
Flamma capax animæ non fuit ulla meæ.
Nempe ita cum totum requievit in Hercule Cœlum,
Non illi requies sidera, pondus erant.
Ah! piget è terris Cœli convexa tueri,
Iam super alta feror nubila, terra vale.
Iam cunctæ ex oculis, turresque, urbesque recedunt, (lam:
Iam coit in minimam pendula terra pilam lunæ, solisq;, Iovisque supervehor orbes,
Et septena premens sidera, calco pede:
Iamque pavimentum stellarum illustre pyropis, (erat:
Sub pede despicitur, quod modò culmen
Altaquè iam cingunt flāmantis mœnia mūdi,
Et propior cœli regia tota patet. (di,

Quin properant volucres, pennata examina, cives,
Et sociant varijs verba fidesq; modis.
Saltanteſq; obeunt pedibus plaudentibus orbem,
Lataq; ceu festo personat Aula die.
O cælum! ô cælum! ô fulgentia lumina stellæ!
O, nisi sidereis, atria digna choris!
O volucres animæ, rutili respublica Regni!
O chelys Angelicis associanda modis!
O ubi sum? prope facta sui immemor, exciderat mens;
Sed redit ut sponsum sensit abesse suum.
Astra valete, valete Poli; Volucresq; valete;
Nil mihi vobiscum est, si meus absit amor.
Iam video, mihi quid terraquè, poloquè petendum,
Si meus absit amor, Terra, Poluſq; vale.
Magnanimas juvenis lacrymas, Pellæe, deduxti,
Nulla tibi domito terra quod orbe foret:
Quid mihi millenos si fregero viribus orbes?
Non satis est votis gloria tanta meis.

Ah,

Ah, minus est animo, quidquid sola dissita terrarum,
Astriferaq; obeunt mœnia vasta plagæ!
Quod neque terra capit, neque regna liquentia ponti,
Non hominumq; lares, non aviumq; domus;
Quod neque siderei claudunt amplexibus orbes,
Id voto spes est, resq; petita meo.
Hactenus heu fateor, vacuas dum prendimus auras,
Semper ab amplexu mens malè lusa suo est!
Tu mihi Terra, Deus, mihi tu Mare, tu mihi Cœlum,
Denique cuncta mihi es, Te sine, cuncta nihil.

Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? *Psal. 72, 24.*

DIc mihi, quæso, anima mea, quid est quod super omnia diligis? ego scio quòd vita tua dilectio est, & scio quòd sine dilectione esse non potes. Aspice mundum & omnia quæ in eo sunt, multas ibi species pulcras & illecebrosas invenies,

quæ humanos affectus alliciunt, & secundùm varias utentium delectationes ad fruendum se, desideria accendunt. Habet aurum, habent lapides precioſi fulgorem ſuum; habet decor carnis ſpeciem, picta tapetia & veſtes fucatæ colorem, Dic ergo, obſecro, mihi; quid de his omnibus unicum tibi feceris, quod ſingulariter amplecti, quo ſemper perfrui velis? Certus enim ſum, quod aut horum quæ videntur aliquid amas: aut ſi jam poſtpoſuiſti univerſa hæc, aliud habes, quod præ omnibus his diligas. *y*.

Quid tibi placet in ſæculo? quid eſt quod vis laudare? quid eſt quod vis amare? quocumque corporeis ſenſibus te converteris, occurrit tibi cœlum, occurrit tibi terra. Quod amas in terrâ, terrenum eſt; quicquid amas in Cælo corporeum eſt. Jam ergo diu occupata vixiſti, & deſideriorum diverſitate verberata, portas plagas, ſaucia, diviſa per amores multos, ubique inquieta, nuſquam ſecura. Colligere ad te ipſum; quicquid tibi foris placebat, quære quem habeat

y. Hugo de S. Victore *in* arrhâ Animæ.

habeat auctorem. Nihil melius in terrâ, verbi gratia, quâm hoc & illud. Aurum, argentum, animalia, arbores, amœnitates, totam terram cogita; quid melius in Cœlo, sole, lunâ, sideribus? Totum cogita; omnia ista simul bona valdè, quia fecit Deo omnia bona valdè; undiq; pulcritudo operis, quæ tibi commendat artificem. Miraris fabricam, ama fabricatorem. Non occuperis in eo quod factum, & discedas ab eo qui fecit: hæc enim quibus occuperis sub te fecit, quia sub se ipso te fecit. z.

Anima humana quæ ad Deum appetendum facta est, quicquid infra Deum appetit, minus est, ideoquè jure ei non sufficit, quod Deus non est. Sed cave, anima mea, ne non sponsa, sed adultera dicaris, si munera dantis plusquam affectum amantis diligis. Væ tibi, si oberras in vestigiis suis, si nutus suos, pro eo amas, & non advertis purgatæ mentis intelligentiâ, quid innuat lux illa beatissima, cujus nutus & vestigia sunt omnium creaturarum decus & forma. Adhuc si fortè *ignoras te ô pulcerrimæ*

T 3 *mu-*

z. Augustin. in Psal. 143.

mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum, id est, irrationabilium creaturarum, quæ sunt vestigium Creatoris tui; tu verò speculum sanctissimæ Trinitatis. Ergo omnibus dignior & excellentior comprobaris. Et *pasce hædos tuos, juxta tabernacula pastoris*, id est, converte cogitationes tuas ad choros Angelorum, quibus quodammodo similis es in naturâ & concivis eris in gloriâ.*a*.

Heu Domine, nunc intelligo, sed confiteri erubesco, species & decor creaturarum decepit oculum meum, & non adverti, quia speciosior omnibus creaturis es tu, quibus tantummodo unam guttam tuæ inæstimabilis pulcritudinis communicasti. Quis enim ornavit cœlum sideribus, aërem volucribus, aquam piscibus, terram plantis & floribus? sed quid sunt hæc omnia, nisi tuæ pulcritudinis modica scintilla? dulcedo etiam Creaturarum decepit gustum meum, & non adverti, quòd melle dulcior es. Tu enim melli & omni creaturæ dulcedinem suam, imò tuam commodasti.

Decc-

a. Bonaventura soliloq. cap. 1.

Decepit etiam odor creaturæ olfactum meum, & ignoravi quòd odor tuus, ô bone Jesu, redolet super omnia aromata. Decepit etiam sonus falsus sive fallax creaturarum, auditum meum, & nescivi nec sensi quàm dulcia faucibus electorum tuorum eloquia tua. *b.*

Cor meum, à cogitatione in cogitationem ducitur, & per varias occupationes & affectiones variatur, ut saltem varietate ipsarum rerum impleatur, quarum qualitate satiari non potest. *c.*

Sed hoc scio Domine Deus meus, quia ubicumq; sum sine te, malè est mihi præter; non solùm extra me, sed etiam in me; quia omnis copia, quæ non est Deus meus, mihi est egestas. *Satiabor* tunc *cùm apparuerit gloria tua. d.*

Anima [enim] quam creasti, ita facta est capax majestatis tuæ, quòd à te solo & à nullo alio possit impleri; quando autem te habet plenum est desiderium ejus, & jam nihil aliud quod desideretur exteriùs, re-

b. idem in loco citato. *c.* Bern. med. cap. 9.
d. Augustinus soliloq. c. 13.

stat. Dum autem aliquid exterius desiderat, manifestum est, quòd te non habet interius; quo habito, nihil est quod ultra desideret: cùm enim sis summum, & omne bonum, non habet quod desideret amplius, sed possidet te omne bonum. *e.*

Bruma, calens æstas, ver, autumnusq; vicissim,
Spectra duo vitæ, nox simul atque dies;
Cœlum, æquor, tellusque novum nihil est mihi prorsus,
Non quæ sunt motu prædita, quæq; carent.
Nil moror hæc, alium mihi da, Rex optime, mundum, (*fero.*
Propter quem hîc prompto tot mala corde
Cætera quæ terris volvuntur, nil moror ipse
Amplius, humanis linquere cuncta libet. f.

Ad quodcumq; me convertero. vilescit mihi adeptum, quamvis acciderit desideratum, quando satiabitur desiderium meum in bonis? non satiabor de mortalibus, non satiabor de temporalibus; aliquid æternũ donet,

e. Idem loco citato cap. 30. *f.* Nazianzenus carm. de externi hominis vilitate.

donet, aliquid æternum concedat. Bonum tuum quære, ô anima. Est enim bonum aliud alteri, & omnes creaturæ habent quoddam bonum suum, integritatis suæ & perfectionis naturæ suæ interest, quid cuique rei imperfectæ necessarium sit, ut perficiatur: Quære tuum bonum, *Nemo bonus nisi unus Deus*, summum bonum, hoc est tuum bonum. Quid ergo deest, cui summum bonum, bonum est? sunt enim & inferiora bona, quæ aliis & aliis bona sunt: Pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentiâ, dormire, gestire, vivere, sanum esse, generare? Tale tu bonum quæris? Cohæres Christi, quid gaudes, quia sociuses pecori? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium [ad eum] *qui satiat in bonis desiderium tuum.* *g*

Audi quid Propheta dicat: *Quid enim mihi est in Cœlo?* & illud: *A te quid volui in terrâ?* ac si dixisset nullius prorsus alterius rei, nec cœlestis, nec terrestris, sed tuo unius desiderio teneor. *h*.

T 5 Hoc

g. Augustin. in Psalm. 102. *h.* Chrysost. hom. 5 in epi. ad Roman.

Hoc est; Tu portio mea es, abundas mihi ad omnia, nihil quæsivi aliud, nisi ut te partem haberem; nullas sæculi hujus divitias & voluptatum illecebras concupivi. Nullius egeo qui à te assumptus sum, nec supereſt in cœleſtibus quod ampliùs quæram. Nihil habens omnia habeo, quia Chriſtum habeo; omnia ergo in illo habens, aliam non quæro mercedem. quia ipſe merces eſt univerſorum. *i.*

Nihil [enim] aliud deſiderat anima, nihil aliud à Deo quærit, quàm ipſum Deum, ut jam ex affectu cordis, atq; ſententiâ clamet illud de Pſalmo: *Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus, cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Neq; enim ſuum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quidquam tamquam privato ſui ipſius amore deſiderat anima, quæ iſtiuſmodi eſt, ſed tota pergit in Deum, unicumque ei ac perfectum deſiderium eſt, ut introducat eam Rex in cubiculum ſuum, ut ipſi adhæreat, ipſo fruatur. *k.* Vi-

i. ibidem. *k.* Bern. de diverſas affectionibus animæ.

Vidit [nempe] quid ibi servaretur, & cogitans & æstuans in cogitatione cujusdam rei ineffabilis, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; non dixit: Illud aut illud mihi est in Cœlo, sed, *quid mihi est in cœlo?* quid est illud, quod habeo in Cœlo? quantum est? quale est? & cùm non transit, quod habeo in Cœlo, *à te quid volui super terram?* servas tu mihi in cœlo divitias immortales, teipsum; & ego volui à te in terrâ, quod habent & impii, quod habent & mali, quod habent & facinorosi, pecuniam, aurum & argentum, gemmas, familias, quod habent & scelerati multi, quod habent multæ fæminæ turpes, multi viri turpes? Hæc pro magno desideravi à Deo meo super terram, cùm servet se mihi in Cœlo Deus meus. *l.*

Defecit gaudium cordis mei, versus est in luctum risus meus; *defecit caro mea & cor meum Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Renuit consolari anima mea, nisi de te, dulcedo mea. *Quid enim mihi est*

l. August. in Psal. 72.

in cælo, & à te quid volui super terram? Te volo, te spero, te quæro; *Tibi dixit cor meum? Quæsivi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, ne avertas faciem tuam à me. m.*

Scis igitur, occultorum cognitor Deus, quia non solùm terrâ & omnibus quæ in eâ sunt, sed ipso Cælo, & omnibus quæ in eo sunt, tu mihi charior, tu acceptior, tu amabilior es; diligo enim Te supra Cœlum & Terram, & cætera omnia, quæ in eis sunt. *n.*

Quidquid enim cœli ambitu continetur, inferiùs ab animâ humanâ est, quæ facta est ut summum bonum superiùs posset, cujus possessione beata fieret. *o.*

* Quare, *quid mihi est in Cælo?* Neq; in cœlo alium habeo Deum, neq; in terrâ alium tibi conjungo. Ob hanc Te causam & animo & corpore desidero, auxiliumq; tuum exspecto. Te namq; habeo & partem, & sortem & fruitionem bonorum. *p.*

Hæc desiderij Deus est pietate colendus,
Institiæ ut merces tota sit ipse Deus:

Nam

m. Aug. med. cap. 40. *n.* Ambr. in orationib.
o. Aug. soliloq. cap. 20. *p.* Basil in schol. Psal 72.



Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Psal. 119. v. 5. 6. 37.



BIBLIOTECA
ESCOLAPIA

Nam sperans alio se munere, posse beari,
Non quem poscit amat, sed quod habere cupit. q.
Multa quidem in nostros Mundus bona procreat usus,
Et pleno Tellus servit opima sinu:
Sed Terra hospitibus, Cœli super astra vocatis,
Virtutis palma est, spernere blanda soli,
Et sic præsentis spatium percurrere vitæ,
Ipsa peregrinis ne via sit laqueus. r.

q. Prosper. Epigramm. 20. *r.* idem. Epigrammate 59.

VII.

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit Anima mea. *Psal. 119. 5, 6.*

An peragit solitis Phœbi rota cursibus annum,
Sidereum quo suo tempore finit iter?
Crediderat fractis currum consistere loris,
Tempora tam lentis ire videntur equis.

Hei mihi, decretos jam dudum explevimus annos,
Nec tamen è vitâ cedere Parca jubet!
Cur mea tam longo ducuntur stamina filo?
Debueras, Lachesis, deproperasse colum.
Ecquid in his adeò delectet vivere terris?
Quidve quod invitet, tristis hic orbis habet? (vita est,
Quælibet, ah! simili mihi mors minus aspera
Si genus hoc mortis vita vocanda fuit.
Nempe gradu stabili nihil hîc immobile constat,
Cuncta sed assiduâ mobilitate fluunt.
Manè dies oritur Phœbeo splendidus auro,
Squallidus emoritur, nocte premente, dies.
Nox subit Astrorum rutilis comitata choreis,
Nox iterum Cœlo, sole fugante, fugit.
Nunc Zephyro gremium tellus spirante recludit, (nus.
Nunc claudit gelidos, flante Aquilone, sinNunc canet nivibus, nunc spargitur alba pruinis,
Nunc tepidi cultu veris amicta viret.

Mollia

Mollia jam liquidas pandunt freta navibus undas,
Iam tenet inclusas unda gelata rates.
Nunc agitant tumido vētifera prælia Ponto,
Nunc stagnat placidis cærula Tethys aquis.
Humidus effusis nunc liquitur imbribus æther,
Nunc atrâ nitidus stat sine nube Polus.
Nunc fragor horrisono Cœlum quatit omne tumultu,
Nunc silet, & superas pax tenet alta plagas.
Denique (quæ reliquos superant incommoda casus)
Mœsta ferè in mediis vita trahenda feris.
Quæq; domus hominum, magè sunt spelæa ferarum, (*habent.*
Quiq; homines, hominum nil nisi nomen
Scilicet insidiæ, fraudesq; doliq; triumphant,
Nec, nisi quod rigido, jus datur ense, viget.
Exulat hinc pietas, terrisquè Astræa recessit,
Fasquè relegatum sub pedibusquè jacet.
Adde loci faciem; locus est inamabilis, & quo
Libera vix risu solvere corda queas.
Martius, heu! sævis ardet furor undiq; bellis!
Nec numerat plures altera terra neces.

Ho-

Hostibus in mediis, inter gladios q3 face sq3,
Hâc geris arma manu, qua seris arva manu.
Quis velit in tantis tolerare laboribus annos,
Sortis & assiduis istlibus esse scopus?
Hei mihi, decretos, jam dudum explevimus annos!
Tempora cur fati sunt ita lenta mei?
Tempora cùm numero (numero quæ sæpius exul)
Iure graves damnat nostra querela moras.
Nec scio quæ cœcas hebetent oblivia mentes,
Omnia queis longi sunt sua vota, dies:
Crediderim miseræ nescire pericula vitæ,
Nec quàm sit gravis hic conditione locus.
Nam bona si deret si nossent maxima mundi,
Arceri patriâ se quererentur humo.
Sed procul absentes cœlestia gaudia fallunt,
Raraq3 de Cœlo nuncia rumor habet.
Hei mihi, quàm procul his distas, mea patria, terris!
Quàm procul à cœli finibus exul agor?
Exulibus quondam tellus fuit ultima, Tybur;
Me profugam fatis ultimus orbis habet.

Et

Et nondum infaustas colui satis incola sedes,
Squallentes tenebris, tristitiâq; domos?
Sexta Ceres casis quoties procumbit aristis,
Servus ab Hebræo pilea sumit hero:
Cur ego non etiam servili emancipor agro?
Nec rudis immunem verbere virga facit?
Cur patria, finesq; portusq; relinquere cogor,
Nec sinor ætherios exul adire lares?
Deserit externas peregrina Ciconia sedes,
Inq; suas revolat, per mare vecta, domos.
Nuncia veris avis, nidos quoque mutat hirundo,
Cum redit ad notos Bistonis ales agros.
Urbe relegatus, patriis Antistius oris,
Redditus, exilii fine favente, fuit.
Hei mihi, cognatis cur exul abarceor astris?
Nec sinor illa meo tangere regna pede?
Lux mea, rumpe moras, satis his habitavimus oris,
Aut quo non potui corpore, mente ferar.

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola

cola fuit Anima mea. *Psal. 119, 5, 6.*

TÆdet enim me, Domine, valde vitæ hujus, & istius ærumnosæ peregrinationis! *s.*

Tota quippe vita ista, intelligentibus tribulatio est; sunt enim duo tortores animæ, non simul torquentes, sed cruciatu alternantes. Horum duorum tortorum nomina sunt, timor & dolor. Quando tibi benè est, times; (& mox,) quando malè est, doles. *t.*

Vita, hæc, vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, plena miseriis & erroribus, quæ non est vita discenda sed mors; in quâ momentis singulis morimur, per varios mutabilitatis defectus, diversis generibus mortium. Mors ista vitalis, & vita mortalis; licet his aliisquè sit respersa amaritudinibus, proh dolor! quàm plurimos suis capit illecebris, & quàm multos suis falsis promissionibus decipit. *u.*

Dul-

s. Aug. med. c. 11. *t.* Aug. serm. 42. de verbis Domini. *u.* Aug. med. c. 21.

Dulcem [namq;] hanc lucem, quâ nunc utimur, illi dicunt, qui dulcedinem veræ lucis ignorant, sed ne auspicia quidem veri luminis ulla senserunt, nec sciunt Angelicam vitam sperandam esse animæ, cùm ex vanitate hujus vitæ evaserint. *x*.

Quid amissa cœlesti patriâ, repulsus homo delectatur exilio? *y*.

Vitium [hoc est] nostræ infirmitatis, qui voluptate corporis, & delectatione vitæ istius capimur, & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis, quàm voluptatis est. At non sancti ac sapientes viri, qui longæ vitatem vitæ hujus ingemiscebant, dissolvi & cum Christo esse pulchrius æstimantes: deniq; Diem generationis suæ execrabantur, sicut ille qui ait, *Pereat dies illa in quâ natus sum*. Quid enim est, quo hæc vita delectet? plena ærumnarum & sollicitudinum, in quâ innumeræ calumniæ & multæ molestiæ, & multæ lacrymæ eorum qui afflictantur molestiis, & *non est*, inquit, *qui eos consoletur*, & ideo laudat

x. Orig. hom. 1. in Psal. 38. *y*. Gregor. M. l. 11. mor. in cap. 14. Iobi.

dat Ecclesiastes *defunctos magis quàm viventes.* z.

Vita [certè] mea, vita fragilis, vita caduca, vita quæ quanto magis crescit, tanto magis decrescit; quanto magis procedit, tanto magis ad mortem accedit. Vita fallax & umbratica, plena laqueis mortis; nunc gaudeo, nunc statim tristor, nunc vigeo, jam infirmor, nunc vivo, statim morior, nunc felix appareo semper miser, nunc rideo, nunc fleo; sicquè omnia mutabilitati subjacent, ut nihil una hora in uno statu permaneat. *a.*

Nec terra intrepida est, quatitur sed turbine venti,
In quę vicem cedunt tempora prompta sibi.
Nox tegit atra diem, tempestas æthera fuscat,
Astrorum obscurat sol radiansq; decus.
Sol tegitur nebulis, redivivaq; luna resurgit,
Dimidiâ Cœlum parte latet sq; sui. b.
Quæ vita hæc, tumulum à tumulo petor rursus, & ignis
Post tumulum rursus me tumulabit edax
Idq;

z. Ambr. de bono mortis c. 2. a. Aug. soliloq. c. 2. b. Gregor. Nazianz. carm. de humanitate.

Idq; ipsum est, quod vivo, velut rapidissimus amnis,
Qui sursum exoriens semper ad ima fluit. c.

Est enim præsens vita *Incolatus* & quid dico *incolatus*, cùm res sit vel *incolatu* inferior, unde *Christus* etiam, ipsam vocavit viam, dicens: *angusta est porta, & arcta est via quæ ducit ad vitam. d.*

Via quippe est vita præsens, quâ ad patriam tendimus; & idcirco hîc occulto judicio, frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patriâ diligamus. Solent enim nonnulli viatores, cùm amœna fortassè in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere, & à cœpti itineris rectitudine declinare; eorumquè gressus tardat pulcritudo itineris dum delectat. Electis ergo suis ad se pergentibus Dominus, hujus mundi iter asperum facit, ne dum quisque vitæ præsentis requie, quasi amœnitate vitę pascitur; magis eum diu pergere, quàm citiùs pervenire delectet; ne dum oblectatur

c. Idem de externi hominis vilitate, loquitur in persona Peccatoris. d. Chrysost. in Psalm. 119.

tur in viâ, obliviscatur, quod desiderabat in patriâ. *c.*

Sed hæc est doctrina optima atque adeò prima, scire nos esse *inquilinos in vitâ præsenti.* Qui rerum quæ hic sunt est hospes, erit rerum supernarum civis. Qui eorum quæ hic sunt, est hospes; non lubenter versabitur in præsentibus. Non domus, non pecuniæ, non alimenti, nec alterius ejusmodi curam gerit, sed quemadmodum qui in aliena versantur, nihil non agunt & procurant ut patriæ suæ restituantur, & quotidie urgent & festinant, ut eam quæ eos tulit, videant. Ita etiam qui amore futurorum tenetur, nec rebus præsentibus adversis animum demittet, nec secundis efferet, sed utrasque prætercurret tamquam qui viam ingreditur. Quocirca jubemur etiam dicere in Oratione: *Adveniat Regnum tuum*, ut illius diei desiderium & cupiditatem animo nostro versantes & ipsum præ oculis habentes, ne videamus quidem præsentia. Si enim Judæi Hierosolymam desiderantes, etiam postquam liberati sunt, deflent præ-

c. Greg. M. l. 23. mor. c. 24. in c. 33. Iob.

præterita ; quænam dabitur nobis venia, quænam relinquetur defensio, si non supernæ Hierusalem teneamur vehementi desiderio? Vide ergo quomodo hi quoque lamentantur, quod cum illis versentur: *Habitavi* dicentes, *cũ tabernaculis Cedar, multùm incola fuit Anima mea*: Hic enim non solùm deflent quòd in aliena habitent, sed etiam cum Barbaris versentur. Neque enim hęc vita est eò tantùm laboriosa, quòd plurimam habet vanitatem & curas importunas, sed quòd etiam multus sit malorum proventus. Nihil est autem gravius & molestius, quàm quæ est cum hujusmodi hominibus congressio. Est Barbarorum, cum iis in quos Imperium obtinuerunt, instar ferarum agere; ut qui tuguriis & tentoriis utantur, & ad immanitatem ferarum sint redacti: sed his multo sunt efferatiores, raptores, avari & qui impudicè, ac libidinosè & in deliciis vitam transigunt. *Multùm incola fuit anima mea*; non multùm propter multitudinem, sed propter rerum difficultatem. Etsi enim sit exiguum, videtur esse multum iis qui affliguntur. Nonnulli è vul-

vulgo, pusilli & abjecti animi, qui etsi per multos annos vixerint eos paucos esse dicunt. Quibus, quid esse potest à ratione alienius? quid verò crassius iis, qui cœlo proposito, & iis bonis quæ sunt in cœlis, quæ *nec oculus vidit nec auris audivit*, ore hiante umbras stupent, nec volunt vitæ præsentis Euripum trajicere, in perpetuis fluctibus, tempestatibus & naufragiis volutati? *f.*

O vita quæ tantos decipis, de propriis tantos seduxisti, tantos excœcasti! Quæ dum surgis, nihil es: dum videris umbra es, dum exaltaris, fumus es, dulcis es stultis, amara sapientibus; qui te amat, non te cognoscit; qui te contemnunt, ipsi te intelligunt. Væ qui tibi credunt! Beati qui te contemnunt! vera non es vita, quam te ostendis, Aliis ostendis te longam, ut perdas in finem, ut faciant quod volunt; aliis brevem, ut dum pœnitere volunt, non permittas. Sic est vita nostra, quasi homo in domo alienâ, nesciens quâ horâ vel die Dominus domus dicat: vade foras, quia non est tua do-

f. Chrys. in Psal. 119.

domus in qua es. O sæculum vanum! quid nobis tanta promittis, dum decipis? *g.*

Erravi fateor, *sicut ovis perdita, & incolatus meus prolongatus est*: atq; procul projectus sum à facie Dei mei, in hanc exilii cœcitatem, ubi expulsus à Paradisi gaudiis, deploro quotidie mecum super miserias captivitatis meæ, lugubre carmen, ingentesque lamentationes, dum recordor tui, mater Hierusalem, dum stant pedes mei in atriis tuis sancta & decora Sion! *h.*

Heu quassa nostra Christe *mi, vis concidit!*
Heu quas procellas excitat corpus mihi!
Heu quàm incolatus *se meus longè extulit!*
Omninò rerum sum satur præsentium,
Census, inopiæ, gaudij, molestiæ,
Famæ, decoris, hostium, & chari gregis. *i.*

Infelices quorum vita est in exilio, vita in periculo, finis in dubio, nescient finem nostrum quia omnia in futurum reservantur incerta. Adhuc in Pelagi fluctibus versamur suspirantes ad te, portum maris. O patria nostra! patria secu ra! à longè te videmus,

U

g. Aug. serm. 49. ad fratres in Eremo. *h.* Ambr. in orationibus. *i.* Nazianz. ad Christum.

mus, ab hoc marite salutamus, ab hac valle ad te suspiramus, & nitimur cum lacrymis, si quomodo ad te perveniamus. *k.*

Sed quia *dum sumus in corpore peregrinamur* à te Domine, *non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus*; noster autem municipatus in cælis est. Idcò duce gratiâ tuâ, ingredior in cubile cordis mei: & canto tibi amatoria, Rex meus, & Deus meus, gemens inenarrabiles gemitus, in loco peregrinationis meæ, *ubi cantabiles mihi sunt factæ justificationes tuæ.* Et recordans Hierusalem, extendo in eam, sensum cordis; Hierusalem patriam meam. Hierusalem matrem meam, teq; super eam regnatorem, illustratorem, patrem, tutorem, patronum, rectorem, pastorem, castas & fortes delicias, solidum gaudium & omnia bona, ineffabilia simul omnia, quia unum summum & verbum bonum. *l.*

O gaudium super gaudium, vincens omne gaudium, extra quod nõ est gaudium, Quando intrabo in te? ut videam Deum meum, qui habitat in te? Ibo illuc, *& videbo vi-*

k. Aug. soliloq. c. 35. *l.* Aug. med. c. 18.



Infelix ego homo, quis me liberabit de Corpore mortis huius? ad Roman. 7. v. 24.

41

BIBLIOTEKA
UŚOLINEUM

visionem hanc grandem. Quid est, quod me detinet? *Heu me quia incolatus meus prolongatus est!* Heu me quamdiu dicetur mihi; *ubi est Deus tuus?* Quamdiu dicetur mihi *expecta, reexpecta: & nunc, quæ est expectatio mea? nonne Deus meus? Salvatorem expectamus Dominum nostrum* JESUM CHRISTUM, *qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Expectamus Dominum quando revertatur à nuptiis, ut inducat nos ad suas nuptias. m.*

m. Aug. soliloq. cap. 35.

VIII.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?

Ad Roman. 7, 24.

INfelix! ubi nũc bõa tot, quæ perdita plãgo,
Sed fruſtrà, planctu nõ revocanda meo?
Tot bona! quid repetit dolor? ah! meminiſſe nocebit:
Amiſſæ cruciant dum memorantur opes,
Vtilius veteris fortunæ neſcius eſſes,
Cùm mala ſors fato deteriore premit.

Passim hominum satira est, decepti noxa parentis
Stultitiæ solus scilicet ille reus.
Adam, Adam simplex, Adam, Adam uxorius audit;
Pluribus, aut totidem vapulat Eva pro-bris.
Non ego sic: sed si gemitus sinit edere vocem,
Pars fateor; mundi in Crimine, magna fui,
Te quoq;, cui primos studium damnare parentes.
Peccati memorem convenit esse tui.
Cùm vita & mortis non felix alea jacta est,
Collusor proavi dilapidantis eras.
Credite posteritas, Adam vos estis & Eva,
Et vestræ pomum corripuêre manus.
Hinc nudi, gens pelliceâ dignissima zonâ,
Et pudor & dolor, & Numinis ira sumus.
Non querar acceptæ tot publica vulnera cladis,
Materies elegis sum satis apta meis.
Ordior à cunis; hìc mecum lacryma nata est.
Hic docuit vitæ syllaba prima, queri.
Mensis erat Majus, mensis gratissimus orbi,
Sed, mea si reputem fata, December erat.

Septi-

Septima lux ibat, quæ si suprema fuisset,
In cineres isset muta querela meos.
Cùm tandem post luctam uteri horribileq; ululatus;
Progenies cervæ parturientis eram.
O Mater, scio, tunc Mater, nova facta Rebecca es
Tunc serus subiit virginitatis amor.
Diriguit nutrix, pallens pater oraret orsit,
Et cunæ in lævum procubuêre latus.
Horror & horror erat, vox omnibus omnibus una
Heu puer, heu quantis gignitur ille malis!
Atra dies, Ægyptiacâ dignissima nocte;
Quâ de me licuit dicere, Natus homo est.
Atra dies! neq; te Titan neq; Cynthia nôrit,
Nec stata qui Cœli tempora Ianus agit.
Illa dies abeat Grajas orsura Kalendas,
Nullus eam cupiat mensis habere suam.
Si redeat, redeat piceis frontem obsita nimbis,
Et gelidum densâ grandine tunsa caput.
Tum tonitru, & fulmen funesto adverberet igne
Et sibi sic hostem noverit esse Deum.

Sentio jam quod fatidici ploraſtis amici:
Mentitur vitæ clepſydra nulla meæ.
Tanti erat hæc ſoboles! lacrymis aſſuevimus
Indè oculos rarò deſeruêre meos (indè,
Nam poſtquam poſita eſt prætexta, nuceſq; trochusq;,
Et bulla ad patrios victima facta lares;
Tunc ego, quæ melius neſcirem; diſcere cœpi:
Primus erat, ſortem plangere poſſe, dolor.
Et vix poſſe datum eſt, ſæpè obluctata fuit mens,
Naturæ impatiens ſub pede colla premi.
Surgere ſæpè adnixa, ſuoq; irrumpere Cœlo,
Nec poterat pigrâ tollere corpus humo.
Tum vibrans oculos, oculos triſti imbre natantes
Ah ſuperi! dixit, (cætera fletus erant)
Et rurſum ah! ah! (ſed per lucti ſonos ſingultus
Ipſe ſibi obſiſtens non ſinit ire dolor)
Sic puto Rex (n) fremuit, dum creſcere cornua ſenſit
Qui bos ex homine eſt, de bove factus homo.
O Deus, ô ſuperi, patientia vincitur! ô quis,
Qui me mortali corpore ſolvat; erit?
O quis

n. Nebucadnezar.

O quis erit? nostris, qui cantet in auribus, istud
Quod voveo toties, ilicet, ô quis erit?
Ille, necaturum mihi mergat in ilia ferrum,
Pocula Thessalico misceat ille favo.
Nec liquido plumbo, nec avaro terreor unco,
Mors misera quâvis conditione placet.
Æratos gemitu doceam mugire juvencos
Supposito quamvis excruciandarogo.
Aut etiam jubeat (quamquam pudor ista vovere)
Inter Vlyssæos exululare lupos,
O Deus, ô superi, patientia vincitur! ô quis
Qui me mortali corpore solvat, erit?
Parce Deus, ne crudelem vox impia jactet,
In furias quando præcipitata ruit.
Hic propè barbaries poterit clementia dici,
Ad pœnas veniat si stupefacta meas.
Corpora corporibus conjunxit mortua vivis
Ille, hominem quem vix dicere fama potest, (verè
Me, vivum cruciat (magis hoc ferale) cadaver,
Nec, qua dissidium finiat hora, venit. o.

V 4 * Quid

o. Mezentius.

* *Quid desperatas jacit impatientia voces?*
Dura, anime, & perstaspe meliore parum!
Gratia sit tibi Magne DEVS, tibi gratia, JESV!
Jam, quæ dissidium finiat, hora venit! *

Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Ad Roman. 7, 24.*

QVomodo vivit anima operta mortis involucro? *p.*

Corpori quonam modo conjunctus sim, haud equidem scio; quoq; pacto simul & Imago Dei sim & cum cœno voluter; quod & cùm pulcrâ valetudine est, bello me lacessit; & cùm bello premitur, mœrore me afficit: quod & ut conservum amo, & ut inimicum odi atq; adversor; quod & ut vinculum fugio & ut cohæres vereor: si debilitate illud & conficere studeo, jam non habeo quo socio & opitulatore ad res præclarissimas utar; sin contra, ut cum socio & adjutore mitiùs agam, nulla jam ratio occur-

p. Ambr. serm. 22. in Psal. 118.

currit quâ rebellantis impetum fugiam, atque à Deo non excidam, compedibus degravatus, vel in terram detrahentibus vel in eâ desinentibus. Hostis est blandus & placidus; insidiosus amicus. O miram conjunctionem & alienationem! Quod metuo, amplector; quod amo pertimesco. Antequam bellum gesserim, in gratiam redeo; antequam pace fruar, ab eo dissideo, *q*.

Cur carnis laqueis tu me, Pater implicuisti?
Cur vitæ miseræ, cur cœnoso barathro? r.

Ecce *corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Vitam ergo habet anima in corpore corruptibili. Qualem vitam? onera patitur, pondera sustinet. Ad ipsum Deum cogitandum (sicut dignum est ab homine cogitari Deum) quanta impediunt veluti interpellantia de necessitate corruptionis humanæ? Quanta revocant? quanta à sublimi intentione detorquent? quanta interpellant? quæ turba phantasmatum? qui populi suggestionum? [Jam] quis non ægrotat in hac vitâ? quis non longum lan-

q. Nazianz. Orat. 16. *r*. Gregorius Nazianz. carm. ad Christum.

guorem trahit? Nasci hîc in corpore mortali, incipere ægrotare est. Quotidianis medicamentis fulciuntur indigentiæ nostræ. Quotidiana medicamenta sunt refectiones omnium indigentiarum. Fames, nónne te occideret, nisi medicamentum apponeres? Sitis, nonne te perimeret nisi eam tu bibendo non penitus extingueres, sed differres? reditura est enim sitis paullulùm temperata. Temperamus ergo istis fomentis ærumnam ægritudinis nostræ. Stando lassatus eras, sedendo reficeris: ipsum sedere medicina est lassitudinis. In illa medicina rursus lassaris, diu sedere non poteris. Quicquid est, ubi fatigationi succurritur, alia fatigatio inchoatur. *s.*

Quod meliùs ostendimus; si priùs carnis, & post pondera mentis exprimamus, ut enim taceamus hoc, quod dolores tolerat, quod febribus anhelat, suâ quâdam ægritudine constringitur. Ipsa hæc corporis nostri, quæ salus vocatur, ægritudo est. Nam otio tabescit, opere deficit: inediâ deficiens, cibo reficitur ut subsistat; refectione

s. Aug. in Psal. 102.

ctione lasescens, abstinentiâ relevatur, ut vigeat; aquâ perfunditur, ne arescat, linteis tergitur, ne ipsa nimis perfusione liquefiat; labore vegetatur, ne quiete torpeat; quiete refovetur, ne laboris exercitatione succumbat, fatigatur vigiliis, somno reparatur; oppressa somno, vigiliis excutitur, ne suâ pejus quiete lassetur, vestibus tegitur, ne frigoris adversitate penetretur; quæsito calore deficiens, aurarum flatu refovetur, cumq; indè molestias invenit, unde vitare molestias quæsivit, malè sauciata (ut ita dixerim) de ipso suo medicamine languescit. Remotis ergo febribus, cessantibusq; doloribus, ipsa nostra salus ægritudo est, cui curandi necessitas numquam deest. Quot enim solatia ad vivendi usum quærimus, quasi tot, ægritudini nostræ medicamentis obviamus. Sed ipsum quoque medicamen, in vulnus vertitur, quia exquisito remedio paulò diutiùs inhærentes, ex eo graviùs deficimus, quod providè ad refectionem paramus. Ipsa quoque mens nostra, à secreti interioris securo gaudio exclusa, modò spe decipitur, modò pavore vexatur, modò

dolore dejicitur, modò falsâ hilaritate relevatur; transitoria pertinaciter diligit, eorumquè amissione incessanter atteritur, quia & incessanter, cursu rapiente, permutatur. *a*.

Habes, ô anima mea inimicum domesticum, hostem amicum, adversarium propinquum, qui tibi malum pro bono reddidit, & sub specie amicitiæ crudelior existens inimicus, his omnibus & aliis infinitis bonis te privavit! Hic hostis (salvâ suâ reverentiâ) est caro infelix & misera, multum tamen tibi dulcis & dilecta. Hanc cùm pavisti, inimicum pessimum contra te erexisti. Hanc cùm honorasti, hostem crudelissimum contra te armasti. Scio, inquit, Bernardus, ô anima, quemdam qui plures annos tecum vixit, ad mensam tecum sedit, cibum de manu tua sumsit, & in sinu tuo dormivit; cùm voluit, tecum colloquium habuit. Hic jure de hæreditario servus tuus est, sed quia delicatè nimis enutristi eum, & virgæ pepercisti, levavit calcaneum super caput tuum, & te in servitutem redegit.

O ani-

a Gregorius Magnus c. 22. in. c. 7. Iob.

O anima miserabilis & misere, quis te liberabit de vinculo improperii hujus! Recordare, ô anima, primordia tua; attende quod es insignita Dei imagine. Quid tibi cum carne, unde ista pateris? si diligenter conditiones ejus advertis, numquam vilius sterquilinium vidisti; si ejus miserias enumerare velis, quam onusta sit peccatis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, confusione plena, & ignominiâ repleta, quid de eâ habes aliud quàm cogitationes fœdas & immundas? *u.*

Exitiosa caro, Beliæ tenebrosa procella,
Exitiosa caro, quâ fluit omne scelus!
Cœnum, massa gravis plumbi, limosa catena,
Bellua pugnaci prodita materiâ.
Pestifer æstus, heræq; tuæ vinclum atq; sepulcrum.
Formæ, quæ supera venit ab arce mihi. x.

Non sine causâ dictum est: *hominem plasmatum*, non de terrâ quâlibet, sed *de limo*. Vide enim quàm limosum sit corpus, quod ipsi quoque spiritu tam fortiter, &

u. Bonavent. c. 1. soliloquiorum. *x.* Gregor. Nazianz. carm. ad vers. carn.

pænè indissolubiliter inhæret, ut vix cum multâ afflictione possit aliquando separari. *y.*

Eja age mens; nam te tunc alloquar, atq; ea dicam,
Quæ fore narratu non aliena puto.
Ecquid es ô mea mens? & quis tibi contigit ortus?
Atq; cadaver olens quis tibi fortè dedit?
Quis solidis vitæ astrinxit gravibusq; catenis.
Pendentem assiduè lumina fixa solo? z.

Universa vanitas omnis homo vivens, quia autem de hâc vitâ accipiatur ista sententia; audi Ecclesiasten protestantem & dicentem *laudavi omnes qui mortui sunt super omnes qui vivunt, cuicunq; ipsi vivunt usq; modo, & bonus super istos duos qui nondum natus est.* Laudat ergo mortuos plusquam vivos; quia illi hoc saltem lucri habent, quòd de vinculis hujus corporis liberati sunt, nec ultra carne ac pellibus induti sunt, nec ossibus ac nervis inserti sunt, nec ultra subjacent

y. Bern. serm. de trip. gē. cogitat. *z.* Nazianz. carm. de hum. nat.

cent, necessitati corporis. Si ergo intellexisti, quale sit vivere in carne (etiamsi Moyses sit quis, vel quisquis ille est) molestia ipsi est ista vita. Non enim à corruptione resolvitur, quæ mortali corpore, terrenoque circumdatur: vide ergo, quoniam *universa vanitas est omnis homo vivens*; contemnamus istam vitam, & festinemus ad sanctam vitam & beatam ac veram & in illam animo & mente tendamus, omni vanitate discussâ. *a*.

Ex quo enim quisq; in isto corpore morituro esse cœperit, num quam in eo non agitur, ut mors veniat. Hoc enim agit ejus mutabilitas; toto tempore vitæ hujus, si tamen vita dicenda est, ut veniatur in mortem. *b*.

Et ideò laudat Ecclesiastes defunctos magis quam viventes, *& optimus*, inquit, *supra hos duos qui nondum natus est*. Et alibi idem Ecclesiastes, meliorem longævo viro asseruit, quem ab ortu ejecit mater sua, quia non vidit hæc mala, quæ fiunt in hoc mundo;

a. Orig. hom. 1. in Ps. 38. *b*. Aug. l. 13. de Civ. cap. 10.

do; nec in has venit tenebras, nec in vanitate ambulavit sæculi. Quid enim boni est homini in hâc vitâ? *c.*

Cognovit se Paulus in miseriâ, in gemitu, in rixâ, in contentione; ipse secum sibi non concordans, à se dissonans, à se resiliens. Et quid ait optans pacem, pacem veram, pacem supernam? *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? d.*

c. Ambr. lib. de bono mortis c. 2. *d.* Aug. in Psal. 102.

IX.

Coarctor è duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. *Ad Phil. 1, 23.*

Quid faciam gemini flammata cupidine voti?
Anteferam terræ? anteferámne Polum?
Terra tenet, cœlum revocat; lis magna moratur, (bræ premunt.
Iamquè volentem animum pondere membra premunt.
Sed procul illecebræ; semel impete rumpere nodum
Præstat, & è vinclis eripuisse pedes.

Pergi-



Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolui et esse cum Christo. ad Philip 1. v. 24.

BIBLIOTEKA OSSOLINEUM

Pergite festinæ persolvere stamina Divæ,
Nec Letho clausæ sint veniente fores.
Aspice, lux, quanto luxentur brachia nisu;)
Vtq; ferè à membris distrahar ipsa meis.
Distrahar ut mediam tibi me conjungere possim,
Vna q; sit saltem pars tibi nexa meî.
Non finis, & rides nil proficientia vota,
Quod q; negastoties, vis tamen usq; peti.
En peto quod renuis, geminasq; exporrigo palmas,
Et tibi, quas nequeo nectere, tendo manus.
Sæpe mihi de te mendacia dulcia fingo;
Vincula ceu positâ compede fracta forent:
Et dico; meus hic, prendi q; & prædere certat,
Me q; sed ut video, dissimulanter amat.
Tam bona credulitas erat haud indigna favore,
Debuerat q; meos expediisse pedes.
Si tamen implicitam pedicis, cupis usq; teneri,
Hîc ego conatu deficiente cadam.
Astredit, & velut allabens sese ingerit ultrò,
Spem q; iterum nutu sollicitante facit.

Sur-

Surgam ſupremum q3 amplexibus obvia curram,
Collaq3 furtivâ fraude, negata petam.
Quàm propè, quàm propè ſum! veſtis pars ultima tacta eſt,
Iam puto, vicinâ prendere poſſe manu.
O Amor! ô dolor! affectum deludis hiantem,
Decipit Amplexu mobilis aura meos!
Et licet aut digitis tribus aut vix quatuor abſis,
Semotus medio crederis orbe mihi:
Nempe pater Pelopis ſic poma fugacia captat,
Poma datam toties fallere docta fidem.
Dum modò prona arbos patulo ſuper incubat ori,
Oſq3 iterum, fructu decipiente, fugit.
Ludicra res Amor eſt, falliq3 & fallere gaudet,
Sed fraus ſupplicio non caret illa ſuo.
Decepti, quo tormento crucientur amantes
Exemplo poterit diſcere quiſq3 meo:
Quiq3 alium ludit (ſed rarum eſt iſta fateri)
Ipſe ſuo patitur vulnera facta dolo.

Neſcio-

Nescieram, mea lux, istis te fraudibus uti,
Sed nimis expertam jam sua pœna docet.
Vt canis indomitâ jactans cervice catenas,
A populo sólvi prætereuntes rogat;
(Ni faciat, querulis ululans latratibus auras,
In sua conversó vincula dente furit)
Sic queror & supplex toties ad vota recurro
Vt præstes, quam me poscere cernis, opem.
At postquam placido vertisti lumina vultu
Nec placuit pedibus demere vincla meis.
Clamavi; ô truculentum & inexorabile pondus!
Quin etiam dicta est sæpè catena nocens.
Hanc trahat Autolycus, trahat hanc furiatus Oresles,
Aut qui tardipedes vertit in antra boves.
Sentiat hanc Scythicâ damnatus rupe Prometheus;
Aut Scinis, aut scelerûm quis feritate prior.
Scilicet à nimio venit hæc dementia luctu,
Error & hic, sese quo tueatur, habet.
Compedimus facile est sævóq; ignoscere ferro,
Durior at vinclis qui ligat illa, suis.

O ubi

O ubi littoreâ vinctam qui rupe puellam
Bellerophon volucri rettulit ales equo?
En ego barbaricæ constringor mole catenæ
Servus ut à rigido transfuga vinctus hero.
Et quoties patrias assurgere nitor in auras,
Deprimor hospitij pondere victa mei.
Nempe ita dat pueris captus ludibria passer,
Dum fugit & revocant fila reducta fugam.
Et licet è Domini cœnétve, bibátve labellis,
Mavelit in sylvas liber abire suas.
Sic quamvis nitidâ pactæ bene cor te palumbes,
Anteferant caveæ rusq́; nemusq́; suæ.
O mea si lacrymis mollescere vincula possent!
Dudum essent lacrymis mollia facta meis.
Lux mea, tende manus; contra tibi tendo catenas,
Has nisi qui vinxit solvere nemo potest.

Coarctor è duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum *Christo. Ad Philip. 1, 23.*

QVid faciam miser ego, gravedine com-

compedis mortalitatis meæ constrictus? quid faciam? *e.*

Quænam hæc lex? cur me constringunt vincula carnis?
Spiritus & socium tam grave corpus habet? f.

Compedes sunt infirmitas & corruptibilitas corporis, quæ aggravant animam; ab his compedibus *concupiscebat dissolvi* Apostolus *& esse cum* Christo. *g.*

Utinam remissa *peccatorum mole*, me [quoque] ultimum servorum Christi, juberet Divina pietas, hanc carnis *sarcinam* deponere, ut in suæ Civitatis gaudia æterna repausandus transirem! *h.*

Corporeâ nec mole gravis mens vergat ad ima,
Ac veluti plumbi massa profunda petat. i.
Me miserum, caro quem remoratur perfida; cæli.
Ad Dominum, cursu dum properante fero! k.

Eche-

e. Aug. med. c. 37. *f.* Nazianz. car de animæ calam. *g.* Aug. in Psal. 78. *h.* Aug. manual. c. 8. *i.* Nazi carm. de animæ calamit. *k.* Naz. in luctu.

Echenaidis instar
Quæ velut injectâ properantem compede
puppim Detinet. l.
Ah gravibus me solve, Pater supreme, catenis,
Inquè Beatorũ me trahe sancte choros! m.

Solvimur enim *hoc nexu* animæ & corporis, cùm recedimus: unde & David ait, *dirupisti vincula mea.* Mors igitur solutio est animæ & corporis. Denique & in Apostolo docuimus lectum; *dissolvi & cum* Christo *esse multo melius.* Solutio autem ista, quid aliud agit, nisi ut corpus resolvatur & quiescat; anima autem convertatur in requiem suam, & sit *libera*, quæ si pia est cum Christo futura sit, Quid igitur in hac vitâ aliud justi agunt, nisi ût exuant se hujus corporis contagionibus, quæ velut *vincula* nos ligant, & se ab his molestiis separare contendat, renuncient voluptatibus atque luxuriæ, fugiant flammas libidinum? *n.*

Justos enim quamvis nullus desideriorum carnalium tumultus possideat; duris tamen

l. Nazianz. præcep. ad virgines. *m.* Naz. in luctu, *n.* Ambr. de bono mortis c. 3.

tamen *vinculis* eos in hâc vitâ positos, suæ molestia corruptionis ligat: scriptum quippe est: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Eo itaque ipso adhuc mortales sunt, corruptionis suæ *pondere gravantur, & astricti molestiâ vincti sunt*, quia in illa adhuc libertate vitæ incorruptibilis non exurgunt. An non *duro molestiæ vinculo ligantur*, quorum nimirum mens, sine labore, in ignorantiâ solvitur, & non nisi cum studio laboris eruditur? quæ coacta erigitur, libæns jacet, ab infimis vix levatur, & tamen elevata protinus labitur semetipsam laboriosè vincendo, superna conspicit, sed reverberata. An non duro molestiæ vinculo ligantur, quos cùm accensus spiritus ad sinum pacis intimæ pleno desiderio pertrahat, fervente certamine, caro perturbat? Quibus exceptis etiam *ea vincula* sustinent, quæ gravis exteriùs necessitas astringit; esurire quippe sitire, lassescere, vincula corruptionis sunt, quę scilicet solvi nequeunt, nisi cùm in illam immortalitatis gloriam, nostra mortalitas permutatur. *o.*

Sed

o. Greg l.4.mor.c.40.

Sed cùm corruptibili carne exuimur, quasi ab his, quibus nunc astringimur, molestiæ *vinculis* relaxamur. Præsentari namque jam Deo cupimus, sed adhuc mortalis corporis obligatione præpedimur. Jure ergo *vincti* dicimur: quia adhuc *incessũ nostri desiderij, ad Deum liberum non habemus.* unde bene Paullus æterna desiderans, sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, *vinctus* clamat: *Cupio dissolvi, & esse cum* Christo; *dissolvi* enim non quæreret, nisi se procul dubio *vinctum* videret. Hæc autem *vincula*, quia certissimè rumpenda in resurrectione conspexerat, jam quasi rupta gaudebat Propheta cùm diceret: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* p.

[Sic] Simeon se dimitti postulabat à Domino, quasi à *vinculis quibusdam ad libertatem festinaret.* Sunt enim velut *vincula* quædam corporis hujus, & quod gravius est *vincula tentationum, quæ nos alligant & ad injuriam captivitatis astringunt* quâdã lege peccati. Quid igitur tantopere istam vitam

p. Idem cap. sequent.

vitam desideramus in quâ, quanto diutiùs quis fuerit, tanto majore *oneratur sarcinâ* peccatorum? unde Jacob dixit: *dies annorum vitæ meæ, centum triginta, minimi & mali*; non quia dies mali, sed quia nobis accessu dierum, malitiæ incrementa accumulantur. *q.*

Nullus enim dies sine nostro peccato præterit: unde egregiè Apostolus: *mihi vivere* Christus *est, & mori lucrum*; aliud ad necessitatem vitæ referens, aliud ad mortis utilitatem. Et addidit, *Dissolvi enim & esse cum* Christo *multo melius*; *permanere autem in carne magis necessarium propter vos.* *r.*

Sed sicut *auceps* aut viseo aut reti in grano aliquo *captum, tenet passerem*, & manu suâ *subtilissimo funiculo ligatum* retinet, & quasi dimittens laxum de manu suâ; dat ei liberam volandi potestatem; at ille avidus ad volandum, elapsumquè se putans, alacer altiora appetit; sed iste summum funiculum tenens, restringit eum cùm volaverit, & ad se trahit ab spe volandi & vivendi deceptū;

X ita &

q. Ambr. lib. de bono mort. c. 2. *r.* ibidem.

ita & diabolus versutus venator per spiritum præsumptionis, laqueo suo deceptum implicat hominem. Qui semel hæserit, vult quidem ab eo evelli, sed vinculum velox venator tenens, revotat captũ semel in laqueo & revolutum premit. *s.*

Quousque [ergo] hîc erimus *affixi*? adhæsimus terræ tamquam vermes, in cœno volutamur: corpus de terrâ nobis Deus contulit, ut ipsum & in cœlum revehamus, non ut animam per ipsum *ad terram detrahamus*. Terrenum est, sed si velimus efficitur cœleste? trahe te ipsum ad illum, qui te sursum tollit, *pondere quodam vetustatis gravaris. t.*

Erige te mea mens, capiant te oblivia mundi,
Nec trahat in vitium te malè blanda caro. u.

* *Quare faciem tuam avertis* gaudium meum per quod gaudeo? ubi es absconditus pulcher quem desidero? odorem tuum haurio, vivo, & gaudeo, te autem non video: vocem tuam audio & reviviſco, sed *cur faciem*

s. Chrys. serm. de pœnitentia. *t.* Idem hom. 55 ad pop. Antio. *u.* Nazianz. ad anim.

faciem tuam abscondis? fortè dicis: *Non videbit me homo & vivet?* Eja Domine, moriar ut te videam, ut videam hic moriar. Nolo vivere, volo mori: *dissolvi cupio & esse cum Christo.* Mori desidero ut videam Christum: vivere renuo, ut vivam cum Christo. *x.* *

Eja dulcissime Jesu, transige saluberrimo vulnere amoris tui medullas animæ meæ, ut verè ardeat, langueat & liquefiat, & solo tuo desiderio deficiat, *cupiat dissolvi & esse tecum.* Te solum semper esuriat, panem vitæ cœlestis qui de cœlo descendisti! te sitiat fontem vitæ, fontem æterni luminis, torrentem veræ voluptatis, te semper ambiat, te quærat, teque inveniat, in te dulciter requiescat! *y.*

x. Augustinus Soliloq. c. 1. *y.* Bonav. c. 1. soliloq.

X.

Educ de custodiâ animam meam, ad confitendum nomini tuo. *Psalm.* 141, 10.

Libera quæ potui ſpatioſo ludere Cœlo,
Cernis, ut anguſto carcere clauſa premar?
Heu dolor! ut miſeras me lux effudit in auras.
Ipſa loco caveæ membra fuêre meæ.
Pes compes, manicaq́ manus, nerviquè catenæ,
Oſſaquè cancellis nexa cataſta ſuis.
Quo mihi cognati nativa repagula clauſtri,
Damner ut hoſpitij carcere vincta mei?
Siccine, more Chelys, brevibus tegar abdita conchis,
Regia cui Cœli vix ſatis ampla domus?
O quoties quæſita fugæ fuit anſa pudendæ!
In votis quoties reſtis & unda fuit?
Sapè quidem rapto felix Lucretia ferro,
Fanſtaquè combibito Porcia dicta foco eſt.
Viſaneò Aſſyriæ triſtis mihi ſica puellæ, z.
Heu nimis ingeminas prodiga ſica neces!
Sed negat hæc animis Numen ſolatia captis.
Nec ſinit hâc vinctos fata præire viâ.
Ergo Syracoſiis malim jacuiſſe cavernis,
Aut Danaës rigidâ delituiſſe ſerâ:
Nec

z. (Thisbes.)



Éduc de custodiâ animam meam, ad confitendum nomini tuo! Psal. 141. v. 10.

43

BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Nec verear curui Cretæa volumina sepți,
Vnde citam rapuit Dædalis ala fugam.
Profugus immeriti damnet pia clauſtra rigoris,
Quæ ſibi ſollicitam non renuêre fugam.
Si mihi ſideriis pateat vel rimula tectis
Non quærar immites Ætheris eſſe fores.
Donec at hæc captam retinent ergaſtula mentem,
Mens nequit agnati templa ſubire poli.
Quin ſuêta imperiis jacet hîc captiva voluntas,
Nec bona quæ vellet, vincula velle ſinunt.
Euge ſemel noſtræ, mea lux, ſuccede cataſtæ,
Quantula ſit nobis experiere domus.
Si tamen inſidiæ vel ahena repagula terrent,
Fac pateat demptâ janua laxa ſerâ.
Captivum (a) gemitu fertur revocaſſe Magiſtrũ,
Oblitus caveæ pſittacus ipſe ſuæ.
Eja graves reſera, nove lane patulcie, vectes;
Non erit hæc dextræ gratia prima tuæ.
Angelico, memini, patefactas impete portas,
Clauſtraquè ſuffractis diſſiluiſſe ſeris;

a. (Leonem Philoſophum poſt Impat. apud Zonar.)

Cùm ſtupuit lapſas manibus, pedibuſq; catenas,
Vixq; Petrus patulas credidit eſſe fores.
Nullus obit noſtris obſes vadimonia vinclis?
Liberat Herculeâ Theſea nullus ope?
O ubi nunc Minyis fidiſſima turba maritis,
Vincula pro captis auſa ſubire viris!
Aut qui VVandalicis obſes ergaſtula nervis, (b.)
Ipſe ſui capitis juſſit abire lytro?
Lux mea, pande fores, inamœnaq; clauſtra reſolve,
Et ſine ſidereas ætheris ire vias.
Aut ſpectanda tuo vis ducar præda triumpho, (erat?
Vt Scyticus cavea pompa Tyrannus (c)
En manus, en digiti rimis hiſcentibꝰ extant,
Cur ego non digitos tota manumq; ſequor?
Quâ caput, hâc reliqua ſubrepit cauda colubra,
Cur mihi ſerpentis lubrica pellis abeſt?
Cortis obit toties volucris captiva feneſtras,
Et notat an tacitæ rima ſit ulla fugæ;

Nexaq;

b. (S. Paulinus Epiſc. Nolanus.) c. (Bajazethes Turcar. Imperat.)

Nexaq; sollicitans fortivo vimina rostro,
Nativas nemorum tentat adire domos.
O Catharis, niveiq; polo comes agminis Agnes!
O casta Vrsulidum, Sophiadumq; chors!
Vos ego, dimidium vestri modò nobile testor
(Dimidium vester quod sibi junxit amor)
Pandite ferratos, ergastula barbara, postes,
Inserar ut vestris dimidiata choris.
Dimidium felix, vinclis socialibus exsors,
Cui licet in plenas jam caluisse faces!
Lux mea, tam durum residet tibi pectore ferrum,
Vt neq; captivæ commoveare prece?
Non ego, sed nostræ Tu maxima causa querelæ es;
Spectat enim laudes ista querela tuas;
Non benè conveniunt rigidis tua carmina clathris,
Quis queat in caveâ cantibus esse locus?
Libera quæ cantat vernis avis Attica sylvis,
Capta silet, solitos nec ciet ore modos.
Eja age, pande fores inamœnaq; claustra resolve,
Et sine sidereas ætheris ire vias.

Aut tua si cupidam præconia dicere temnis,
Invidus in laudes efficiere tuas.

Educ de custodiâ animam meam, ad confitendum nomini tuo. *Psal. 141, 10.*

LAudo quantum possum, tenuiter, exiliter, infirmiter. quare? quia quamdiu sumus in corpore, *peregrinamur à Domino.* Quare sic laudas Dominum? non perfectè, non stabiliter? Interroga scripturam; quia *corpus quod corrumpitur aggravat animã, & deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem.* Tolle mihi corpus quod aggravat animam *& laudo Dominum.* Tolle mihi terrenam habitationem, deprimentem sensum multa cogitantem, ut à multis in unum confluam *& laudo Dominum.* Quamdiu autem ita sum, non possum; prægravor. *d.*

Nihil enim *præsens vita* differre videtur *à carcere*, sed sicut cum triste illud introimus habitaculum, circumdatos ac vinctos videmus catenis, ita etiam nunc, si (extra omnia

d. August. in Psal. 14.

mnia nos phantasmata collocantes) unius cujusque ingrediamur vitam, ejusque animam contemplemur, videbimus eam durioribus ferro vinculis colligatam. *e.*

In exitu ipso videamus, quemadmodum anima decedentis, paulatim *solvat se vinculis carnis*, & ore emissa, evolet *tamquam carcereo corporis hujus exuta gurgustio. f.*

Carcere homo circumdatur, quia plerumque & virtutum profectibus, ad alta exurgere nititur, & tamen carnis suæ corruptione præpeditur, quâ bene exui Psalmista deprecatur dicens: *Educ de carcere animam meam. g.*

Sancti autem viri, quia scriptum est, *corpus quod corrumpitur, aggravat animã*, intentione jam quidem ultra semetipsos eminent, sed tamen adhuc infirmitatis suæ incertis motibus subditi corruptionis suæ se *carcere clausos* dolent. Ait ergo Job; *numquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* ac si apertè diceret; mare vel cetus (iniqui videlicet, eorumque

e. Chrys. in c. 4. Matth. hom. 14. *f.* Ambr. lib. de bono mortis, c. 2. *g.* Greg. c. 17. in c. 7. Iob.

auctor malignus (spiritus) quia effrænari ad solam perpetrandam iniquitatis licentiam appetunt, rectè pœnæ suæ carcere constringuntur; Ego autem quia jam æternitatis tuæ *libertatem desidero*, cur adhuc meæ *carcere corruptionis premor? h.*

Videmus in hoc sæculo *insertos nexibus catenarum reos*, in specie pompæ miserabilis duci, & nonnumquam patiuntur insontes, ut tolerabilius sit mori, quàm talia subire supplicia. Optant utique audiri bene sibi conscii. Optant etiam hi qui gravibus flagitiis urgentur, pœnam, mortis celeritate transigere, ut aliquanta compendia pœnarum lucrentur. Spes est etiam de judicis misericordia. Ipso exilio *claustra carceris* duriora sunt. *i.*

Quemadmodum [igitur] eorum qui in carceres conjiciuntur; hi quidem in afflictione carceralium vinculorum detinentur, introclusi diuturniore temporis morâ; illi verò ab eâ calamitate submoventur, sic & animæ. Etenim hæc destinentur in præsenti vitâ diutiùs; aliæ minùs, pro cujusque merito,

h. ibidem. *i.* Ambr. in Psal. 118.

merito, dignitatéve, juxta Divinæ sapientiæ profunditatem, sic ut mens nulla hominũ, ea possit attingere, quæ de unoquoque nostrum ipse Creator prævidit. Non audis dicentem David: *Educ de carcere animam meam*? Non audisti ut sancti ejus exsoluta anima est? quid rursus Simeon, Dominum nostrum pio ulnarum astringens complexu, cujusmodi vocem emisit? nónne hanc? *Nunc dimittis servum tuum Domine.* Ei enim qui ad supernum & cœleste domicilium festinus contendit, supplicio omni, *omni carcere* gravior est hæc inhabitatio corporis. *k*.

O misera sors hominis cùm hoc perdidit ad quod factus est! ô durus & dirus casus ille! heu quid perdidit & quid invenit! quid abscessit, & quid remansit? perdidit beatitudinem ad quam factus est; invenit miseriam, propter quam factus non est. Abscessit sine quo infelix est, & remansit quod per se, non nisi miserum est, Ærumnosi! unde sumus expulsi? quo sumus impulsi? unde præcipitati? quo obruti? A pa-

k. Basil. in hom. in Martyr. Iulittam.

triâ, in exilium; à visione Dei in cœcitatem nostram; à jucunditate immortalitatis, in amaritudinem & horrorem mortis. Misera mutatio! de quanto bono, in quantum malum! grave damnum, gravis dolor, grave totum! sed heu me miserum unum de aliis miseris filiis Evæ elongatis à Deo! quid incœpi? quid effeci? quò tendebam? quò deveni? *l.*

Dissolve me, oro, à vinculis, quibus constrictus teneor, ut relinquens ista omnia, tibi festinem, tibi soli inhæream, soli intendam. *m.*

Hinc me, Christe *potens, educ jam, quæso malisq́;*
Queis crucior medicam protinus affer opem.
Vnum homini est certumq́; bonum, fixumq́; (beata
Vita; animus cujus languet amore meus. n.

Felix anima, *quæ terreno resoluta corpore libera cœlum petit!* secura est & tranquilla, non timet hostem neque mortem: habet enim

l. Ansel. in prolog. c. 1. *m.* Hugo de S. Vict. l. 4. de anima c. 4. *n.* Nazianz. carm. de externâ hominis utilitate.

enim semper præsentem, cernitquè indesinenter pulcerrimum Dominum, cui servivit, quem dilexit, & ad quem tandem læta & gloriosa pervenit. *o.*

Tu [ergo] Domine expectatio Israël desiderium ad quod suspirat cor nostrum quotidie; festina, ne tardaveris; surge, propera & veni, *ut educas nos de isto carcere, ad confitendum nomini tuo. p.*

Veni Domine, & noli tardare, veni Domine Jesu, veni & visita nos in pace; veni *& educ vinctos de carcere,* ut lætemur coram te, corde perfecto; veni Salvator noster; veni desideratus cunctis gentibus; ostende faciem tuam & salvi erimus; veni lux mea, Redemptor meus, *educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini sancto tuo!* O verè felices, qui *è carcere ad palatium* pervenerunt! *q.*

o. Aug. med cap. 13. *p.* Aug. soliloq. cap. 23. *q.* Aug. soliloq. c. 35.

XI.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desi-

rat anima mea ad te Deus.
Psal. 41, 1.

SCire cupis, mea lux, quibus intùs amoribus urar? (quat?
Quantaq; flamma tui pectora nostra co-
Nec satis extulero sitientis imagine prati,
Aut violæ, nimio quæ jacet usta die.
Nec satis æstiferæ depinxero fulmine stellæ,
Cùm canis ardenti sidere torret humum.
Ah! quàm pulverea Libyes patiuntur arena.
Æstuat hæc, nostro siccior ore, sitis.
Siccior Icario quàm dum canis imminet a-
Aut violæ tosto flos cadit ustus agro. (stro,
Vis dicam, mea lux, quàm te meus ardor anhelet?
Cervus ut irrigui fontis anhelat aquas.
Nempe venenifero pastus serpente medullas,
Cervus agit totis hausta venena fibris;
Aut humeros tincti trajectus arundine teli,
Carpitur infestâ viscera tacta luc.
Ille furit, pectusq; citatus anhelitus urget,
Cæcaq; per sylvas saucius antra petit:
Antra petit fugiens salientibus humida lym-
Vi sua fontano guttura rore lavet. (phis,

Hîc



Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.
Psal. 41. v. 1. 41

94



Hic rivi scatebris fumantia temperat ora
Pellit & amne sitim, pellit & amne luem.
Haud aliter scelerum mihi mens temerata veneno,
Tela venenatâ combibit uncta manu.
Et modò combibitum populatur pectora virus,
Ardet & in tacito noxia flamma sinu.
Nempe graves, animi sunt toxica vindicis iræ,
Et tua qua jaculas tela, venena, Venus.
Quæq; gravant nimio spumantia pocula Baccho,
Pocula qua diro gramine pota necant.
Aspicis ut tumido turgescunt pectora fastu?
Pectoribus fastus virus inane tumet.
Quo sitiens igitur peterem de flumine lympham,
Cùm mea tam varium viscera virus edit?
Ah! nisite, nullo sitis hæc placatur ab haustu,
Tu potes hanc solus, fonte domare sitim.
Scis etenim, mea lux, quàm te, meus ardor anhelet,
Cervus ut irrigui fontis anhelat aquas.

Cervus

Cervus odori sequi fugitivus ab ore Molossi,
In laqueos nullo sæpè sequente ruit:
Tunc densam aspiciens venantûm, hinc, indè coronam,
Tela super, saltu corpora fertur agens.
Exoritur clamorq́ canum, strepitusq́ sequentûm,
Ille fugit, tergo cornua celsa locans;
Ambiguusq́ pavet ne sit comprensus, & ipsa
Quæ jam prætériit tela, canesq́ timet
Respectansq́ metu, per saxa, per avia currit,
Igneus at q́ illi spiritus ore micat.
Gutturaq́ ardenti flagrant arentia linguâ
Quaq́ sitim relevet, quærit anhelus aquam.
Tum fontis mediis venas rimatus arenis,
Fontano rabidam mergit in amne sitim;
Et bibit & potis largè se proluit undis,
Haurit & exhausto robur opemq́ lacu.
Sic ego tartareis cingor, mea vita, sagittis,
Ægraq́ flammata torreor ora siti.
Hinc puer Idalius, premit hinc ad retia Bacchus,
Et multâ ancipitem trudit uterq́ cane.

Subli-

Sublimes levis hinc suspendit Gloria casses,
Hinc tumidus pedicis fallere tentat Honor.
Indè cohors magnis sociorum hortatibus instat,
Et docet exemplo crimina quisquè suo.
Hei mihi quot circum venabula stricta minantur!
Ceu fera, cum cincto clausa tenetur agro.
Mille vias repetens, infraq; supraq; per erro,
Si qua meæ pateant hospita lustra fugæ.
Tum mihi per siccas sitis æstuat ignea venas,
Et sensim vapidas decoquit igne fibras.
Fontis inops igitur ad flumina quæq; recurro,
Flamma sed hæc nullo flumine victa fugit.
Sic cadit obscœnos miles defessus in haustus,
Sit licet infami turbida lympha luto.
Sperabam effossis æstum compescere rivis,
Æstus at infusæ gurgite crevit aquæ.
Qualis in amne levem sectatur faucibus undam
Tantalus, & fallit, quam dedit unda, fidem.

Mo-

Mobilibusque inhiat, deluso gutture, lymphis,
Semper aquæ locuples, semper egenus aquæ.
Scilicet haud simili calor hic extinguitur haustu
Nec domat hanc cœni turbida lympha sitim.
Cœlestes animus sitit insatiabilis undas,
Cervus ut irrigui fontis anhelat aquas.
Ite igitur pigro torpentia flumina stagno.
Non bibit è vili gurgite nostra sitis.
Ite graves stygijs serpentibus, ite lacunæ,
Noxia Tartareis flumina pasta vadis:
Ite, sitit superi dias mens fluminis undas,
Cervus ut irrigui fontis anhelat aquas.

Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. *Psal. 41, 1.*

Hic est mos amantium, amatorem non celare, sed enunciare vicinis, & dicere, se amare. Ardens enim res est natura dilectionis, nec potest anima sustinere ut eam silentio teneat. Ita hic beatus Deum amans

mans, & ardens in amore, non potest in animum inducere ut taceat, sed aliquando quidem dicit : *Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum*; aliquando autem; *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* r.

Quis est qui sic cantat? si volumus, nos sumus; Et quid quæris extrà quísnam sit, cùm in tuâ potestate sit, esse quod quæris? Eja fratres, simul amemus, simul in hac siti exardescamus, simul ad fontem intelligendi curramus. Desideremus velut *Cervus fontem*, desideremus illum fontem, de quo scriptura dicit: *Quoniam apud te est fons vitæ.* Ipse enim fons & lumen est, *quoniam in lumine tuo videbimus lumen.* Si & fons & lumen est; meritò & intellectus est; quia & satiat animam avidam sciendi. Curre ad fontes, desidera aquarum fontes. Apud Deum est fons vitæ, & insiccabilis fons; in illius luce, lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera; quemdam fontem, quoddam lumen, quale non norunt oculi tui; cui lumini videndo, oculus interior præparatur; cui

r. Chrysost. homil. in Psalm. 41.

cui fonti hauriendo sitis interior inardescit. *s.*

Salutaris nimirum aqua, quæ noxiam hujus mundi sitim, & vitiorum ardorem prorsus extinguit, sordes omnes peccatorum eluit, animæ nostræ terram cœlesti imbre irrorat atq; fœcundat; & ad solum Deum anhelo spiritu mentem humanam sitientem reddit. Hâc aquâ largiter potatus fuit Propheta, cùm totus ad Deum suspirans dixit: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus! t.*

Curre ad fontem, desidera fontem, sed noli utcumque, noli ut quale cumque animal currere, ut *Cervus* curre. Quid est? ut *Cervus*? Non sit tarditas in currendo; impigrè curre, impigrè desidera fontem. Invenimus enim insigne velocitatis in Cervo, sed fortè non hoc scriptura solùm nos in Cervo considerare voluit, sed & aliud audi: Quid aliud est in *Cervo*? serpentes necat, & post serpentium internecionem, majori siti inardescit; peremptis serpentibus ad fontes

s. Aug. in Ps. 41. *t.* Cyril. lib. 3. in Ioan. c. 10

fontes acriùs currit. Serpentes, vitia tua sunt; consume serpentes iniquitatis, tunc ampliùs desiderabis fontem veritatis. Avaritia fortè in te tenebrosum aliquid sibilat, & sibilat adversus verbum Dei, sibilat adversus præceptum Dei. Et quia tibi dicitur Contemne aliquid, ne facias iniquitatem; si mavis facere iniquitatem quam aliquod commodum temporale cõtemnere, morderi magis eligis à serpente, quàm perimere serpentem. Cùm ergo faveas adhuc vitio tuo, cupiditati tuæ, avaritiæ tuæ, serpenti tuo, quando in te invenio tale desiderium, quo curras ad fontem aquarum? quando concupiscis fontem sapientiæ, cũ adhuc labores in veneno malitiæ? interfice in te, quicquid contrarium est veritati, & cùm te videris tamquam vacare à cupiditatibus perversis, noli remanere, quasi non sit quod desideres. Quæris fortè unde delecteris; Desidera unde delecteris: *Desidera ad fontes aquarum*, habet Deus unde te reficiat, & impleat venientem ad se, & sitientem post interemptionem serpentium, tamquam velocem Cervum. Est aliud

quod

quod animadvertas in Cervo. Dicuntur Cervi, vel quando in agmine suo ambulant, vel quando natando, alias terrarum partes petunt, onera capitum suorum super se invicem ponere; ita ut unus præcedat & sequantur qui supra eum capita ponant; & supra illos alii consequentes, & deinde alii, donec agmen finiatur. Ille autem unus, qui pondus capitis in primatu portabat, fatigatus redit ad posteriora, ut alius ei succedat qui portet quod ille portabat, atque fatigationem suam recreet posito capite, sicut & cæteri ponebant. Ita vicissim portando quod grave est, & viam peragunt & invicem se non deserunt. Nónne quosdam Cervos alloquitur Apostolus dicens: *Invicẽ onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi?* Talis ergo Cervus, in fide constitutus, nondum videns quod credit, cupiens intelligere quod diligit, patitur contrarios Cervos, non solum obscuratos intelligentiâ, in tenebris interioribus constitutos, vitiorum cupiditate cæcatos, insuper insultantes, & dicentes homini credenti, & quod credit, non ostendenti, *ubi est Deus tuus?*

tuus? quid ergo iste Cervus fecerit contra hæc verba, audiamus; ut ipsi, si possimus, faciamus. Primò, expressit sitim suam. *Quēadmodum*, inquit, *Cervus, desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Quid si Cervus ad fontes aquarum, lavandi causâ desiderat? utrùm ergo bibendi, aut lavandi causa, nescimus? audi quod sequitur & noli quærere. *Sitivit anima mea ad Deum vivum.* Quid sitivit? *quãdo veniam, & apparebo ante faciem Dei?* hoc est, quod sitio, venire & apparere, sitio in peregrinatione, sitio in cursu, satiabor in adventu. Sed quoniam sicut *Cervus desidero ad fontes aquarum*, & est apud eum *fons vitæ.* Quid agam ut inveniam Deum meum? Considerabo terram; & facta est terra: Est magna pulcritudo terrarum, sed habet artificem: Magna miracula sunt seminum. atq; gignentium, sed habent ista omnia Creatorem: Ostendo magnitudinem circumfusi maris; stupeo, miror; artificem quæro. Cœlum suspicio & pulcritudinem siderum; admiror splendorem solis, exercitio diei sufficientem; lunam nocturnas tenebras

nebras consolantem. Mira sunt hæc, laudanda sunt hæc, vel etiam stupenda sunt hæc, neq; enim terrena, sed etiam cœlestia sunt hæc. Nondum ibi stat sitis mea. Hæc miror, hæc laudo, sed eum, qui fecit hæc sitio. *u.*

Anima [enim] quam tangit amor Dei, nihil aliud potest cogitare, nihil desiderare, sed frequenter suspirat, dicens: *Sicut Cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea, ad te Deus meus. x.*

O fons vitæ, vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ, de terrâ desertâ, inviâ & inaquosâ, ut videam virtutem tuam & gloriam tuam, & satiem ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam? Sitio, Domine, fons vitæ es, satia me. Sitio Domine, sitio te Deum vivum, *y.*

Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. In aliâ vitâ, cùm resurrexerit caro; satiabitur; modò ex corruptione fragilitatis si non manducemus, deficimus & esurimus; si non bibamus, deficimus,

u. Aug. in Psal. 41. *x.* Aug. manuali cap. 20.
y. Aug. soliloq. cap. 35.

mus,& sitimus. Si diu vigilemus, deficimus & dormimus; si diu stemus, fatigamur, ideò sedemus; & si diu sedeamus, fatigamur, & ideò surgimus. In istis omnibus multiplicibus defectionibus nostris, sitimus illam incorruptionem; & sic caro nostra, *multipliciter sitit Deo.* In ista Idumæa, in isto deserto, quàm multipliciter laborat, tam multipliciter sitit; quàm multipliciter fatigatur, tam multipliciter sitit illam infatigabilem incorruptionem, in terrâ desertâ, sine viâ, & sine aquâ, talis enim est mundus iste. z.

* Si quando audimus nomen cervi in divinis libris, optimorum id similitudini semper aptemus. Nam & in altis montibus habitare cervus, & ad fontes aquarum potare dicitur: & justus omnis in altissimis versatur mentis affectibus, signum metamquè supernæ vocationis persequens, & ad potabiles fontes recurrit, prima Theologiæ principia requirens. Trahit item cervus oris respiratione è cavis animalia venenate latentia, quæ vi spiritus sui ex ipsis

Y quo-

z. August. in Psal. 62.

quoque cubilibus & latebris extrahit. Ubi cervi præsentiæ est, omnium ibi serpentum malitia fugatur. Odorem enim cervi nulla ferunt animalia venenata, præsentim ubi cornu ejus suffitum sentiunt. *a.*

Cervus ipse ætatis suæ arbiter, serpente pastus, veneno langueſcit in juventute. *b.*

Cervus sagittâ transfixus, ut ferrum & irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si ex cæcaverit pullos novit illos oculare rursus de suâ chelidoniâ. Peccator restituendo sibi institutam à Domino Exomologesin sciens præteribit illam? *c.*

Cervus æger ramusculos oleæ mandit, & sanus fit. Locustas quoquè folia oleæ arosæ liberent ab ægritudine. *d.*

Sicut Cervus serpentinis carnibus pastus, veneno exæstuans festinat ad fontes: ita serpentis antiquo pasta consilio, festinat anima mea ad te Deus. *e.*

Eja, fratres, quos beatæ sitis ardor exoptatus

a. Basilius in Psalm. 28. *b.* Tertull. de Pallio c. 3. *c.* Idem de Pœnit. c. 12. extremo. *d.* Ambros. Hexaëm. l. 3. c. 8. *e.* Arnobius in Psalm. 41.



Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Psal. 41. v. 2.

BIBLIOTEKA OSOLINEUM

ptatus incendit, cupiditate ac velocitate cervinâ lacteum genitalis fontis ad laticem convolate. Fortiter bibite, ut vobis semper aqua sufficiat: hoc principaliter scientes, quia hanc nec effundere licitum est, nec rursus haurire. *f.*

f. S. Zeno Veron. invitat. ad Font. Baptismi 6.

XII.

Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? *Psalm.* 41, 2.

AH quoties, mea lux, mihi seria verba dedisti,
Nulla secuta tamen, seria verba fides!
Euge brevi venies, toties dixisse recordor;
Adde fidem verbis, dic semel, Euge veni,
Heu mihi, quàm longæ sunt expectantibus horæ!
Plus ævi spatio creditur una dies.
Iam, mea lux, lapsi menses, tot aguntur & anni,
Spemq; facis toties, spem tamen usq; negas.
Quid miseram spatiis tam lentis ferreus uris?
Et toties, parvo hic tempore, dicis, eris.

Iam lacerant falsis me publica compita sannis,
Et tuus ille Deus, dic, ubi? quisq; rogat.
Quando igitur veniam? quando tibi libera sistar?
Quando adstabo oculis obvia facta tuis?
Aspicis ut misero consumar squallida luctu?
Quâ carco, facies hæc mihi damna facit,
O facies animi crudele mei, tormentum!
Unica quæ præsens esse medela potes.
O quando, facies toto spectabilis orbe,
Quando tuo dabitur lumine posse frui?
Scilicet ut gravis est terris, absentia Phœbi,
Squallet & obscurus, sole latente, dies:
Nec color est hortis, nec amœnis gratia sylvis,
Iamquè silent homines, jamquè siletis aves:
Mox ubi purpureo roseum caput extulit ore,
Læta micat radijs, luce nitente, dies;
Et suus est hortis color, & sua gratia sylvis,
Iamque strepunt homines, jamquè loquuntur aves:
Sic ego, te viso, moriens, mea vita, resurgo;
Vivaquè non viso protinus emorior.

Sæpè

Sæpè jubes, alio me pascere lumina vultu,
Multaq3 conspectu corpora pulcra refers.
Aspice prata, inquis, formosos aspice flores;
Picta mei multum prata coloris habent.
Aspice cæruleo palantes æthere stellas;
Hæ quoq3 de nostro lumine, lumen habent.
Aspice & humanis præstantia corpora formis;
Est meus humano multus in ore decor.
Siccine, Lux, nostris speraſti illudere votis?
Falsaq3 suppositò vendere frusta vitro?
Non ego pelliceor mortalis imagine formæ,
Ah, mea fax facies est, mea vita, tua!
Illa, ô digna Deo facies! gravis ille suavi
Mixtus in ore timor, parq3 timoris, amor.
Illa supercilij majestas dia, cadentiũm
Cœlitum prono quam colit ore tremor.
Nam quota pars tanti sedet ulla in fronte decoris,
Lux mea, quanta tuâ fronte, geniſq3 sedet?
Ah, neq3 si faciem coëat decor omnis in unam,
Tanta sit ullius gratia, quanta tua! (striis
Lux mea, splendidior quanto supereminet aLucifer, & quanto Cynthia Lucifero;

Ipsaq; quanto iterum superatur Cynthia Phœbo,
Tanto formosis omnibus ore prais.
De tribus id melius narrabit testibus unus,
Qui tibi tum comites vertice Thabor erant:
Cùm testata Deum facies tibi flammea luxit.
Cinxit & aurata fax radiata comas:
Nempe aliquis tantæ captus dulcedine lucis,
Et nimio formæ saucius igne tuæ;
Immemor & patriæ, oblitusq; sui q; suorumquè,
Optabat stabiles figere monte lares.
Nec tamen augustum, qualis, quantusq; videri
Cœlitibus solitus, viderat ille Deum.
Viderat aërios absistere vultibus ignes,
Vt solet accenso candida mica foco.
Viderat ardenti rutilantem vertice flammã,
Quale lacessitum Sole refulget ebur.
Viderat, ut placidis Lucina videris in undis,
Cùm tuus in nitidis fluctuat ardor aquis;
Aut qualis pelago Cœli vibratur imago,
Vnda repercussi cùm tremit igne poli.

Quid

Quid dicturus erat, totâ si luce coruscas
Vidisset, circum tempore bina faces?
Quid si oculos? quid si faciem sine nube micantem?
Quodq; polo facies lumen utroq; jacit?
Quando erit ille dies, mea lux, rex ille dierũ,
Numinis ambrosio cùm fruar ore frui!
Sæpè quidem vestros spectato sub imagine vultus,
Cùm vultus obeunt spica, merumq; tuos:
Magna, equidem fateor, tamen imperfecta voluptas,
Pro facie, faciem nube tegente frui:
At mihi mens alio stimulata cupidine flagrat,
Ardet & innubes læta videre genas.
Quando erit ergo dies, cùm te, sine nube, videbo?
Impedient faciem vela nec ulla tuam?
Solaquè quæ fueras animo libata voluptas,
Tandem oculis etiam percipiêre meis?
Illa dies, fausto si quando affulserit astro,
Iuro, erit his oculis carior illa dies.

Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? *Psalm. 41, 2.*

SI invenis meliùs quàm videre faciem Dei, illuc te præpara. Væ tali amori tuo, si vel suspicaris aliquid pulcriùs, quàm est ille, à quo est omne pulcrum, quod te teneat, ne illum cogitare merearis. *g.*

Dulcissime, amantissime, benignissime, carissime, pretiosissime, desideratissime, amabilissime, pulcerrime, quando te videbo? *quando apparebo ante faciem tuam?* quando satiabor de pulcritudine tuâ, quãdo educes me de hoc carcere tenebroso, ut confitear nomini tuo. *h.*

Dic nunc totum cor meum, dic nunc Deo; *Quæro vultum tuum, vultum tuum Domine requiro.* Eja nunc ergo, Tu Domine Deus meus, doce cor meum, ubi & quomodo te quærat, ubi & quomodo te inveniat. Quibus signis, quâ facie, te quæram? numquam te vidi, Domine Deus meus; non novi faciem tuam, quid faciet altissime Domine, quid iste tuus longinquus exul? quid faciet servus tuus anxius amore

g. Aug. in Psalm. 43. *h.* Aug. med. c. 37.

more tui, & longè projectus à facie tuâ? anhelat videre te, & nimis abest illi facies tua. Dominus Deus meus es, & Deus meus, & nondum te vidi. Tu me fecisti & refecisti, & omnia mea bona tu mihi contulisti, & nondum novi te. Denique *ad te videndum* factus sum, & nondum feci propter quod factus sum. *i.*

* Panem Angelorum sub Sacramento manducamus in terris, eundem sine Sacramento manifestius edemus in cælis: non ministerio corporali sæpè repetitis actionibus ad eadem revertentes; sed consummato Sacerdotio nostro erit & permanebit perpetua & stabilis, implens & reficiens nos sufficientia, quâ proferet se palàm absquè ullis integumentis, omnibus conspicabilis summi præsentia Sacerdotis. *k.* *

Hæc est plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, *videre faciem Dei sui*, videre eum, qui fecit Cœlum & terram, videre eum, qui fecit eum, qui salvavit eum, & qui glorificavit eum. *Exquisivit te facies mea,*

i. Anſel. in proſolog. cap. 1. *k.* Cyprianus de Cœnâ Domin.

faciem tuam, Domine, requiram, faciem Domini virtutum, in quâ solâ, consistit tota gloria sempiterna beatorum. *l.*

O quando veniam & apparebo Domine ante faciem tuam? putásne, videbo diem illam, diem, inquam jucunditatis & lætitiæ, *diem quam fecit Dominus, ut exultemus & lætemur in eâ?* O dies præclara & pulcra, nescíens vesperum, non habens occasum, in quâ audiam vocem laudis, vocem exultationis & confessionis; in quâ audiam, *intra in gaudium Domini tui!* intra in gaudium sempiternum, in domum Domini Dei tui, ubi sunt magna & inscrutabilia & mirabilia, quorum non est numerus. Intra in gaudium sine tristitiâ, quod continet æternam lætitiam; ubi erit omne bonum, & non erit aliquod malum; ubi erit quicquid voles, & non erit, quicquid noles; ubi erit vita vitalis, dulcis & amabiles, semperque memorialis; ubi non erit hostis impugnãs, nec ulla illecebra, sed summa & certa securitas, secura tranquillitas, & tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna.

l. Aug. soliloq. cap. 38.

æterna beatitudo, beata visio, quæ est gaudium Domini Dei tui. *m.*

Hanc verò, dulcedinem, ut gustavit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamavit quasi ebrius, dicens; *Domine bonum est nos hîc esse, faciamus nobis hic tria tabernacula.* hîc moremur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus. Sufficit nobis, Domine, *videre te*, sufficit, inquit, tantâ dulcedine satiari: unam enim stillam dulcedinis ille gustavit, & omnem aliam fastidivit dulcedinem. Quid putas dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis Divinitatis tuæ gustasset, quam abscondisti timentibus te? *n.*

Vide quoque ardentem hominem [Davidem] vide inflammatum, sciens enim se cùm hinc recesserit, eum esse *visurum*, ne expectat quidem dilationem; moram enim non patitur; & si esset quidem privatus aliquis, humilisquè & abjectus, & vivens in paupertate, magnum quiddam esset, vel sic, vitam præsentem contemnere; sed non es-

m. idem in loco cit, cap. 35. *n.* idem eodemque loco c. 22.

set adeò magnum ut nunc est, utpote Rex est, & tantis fruitur deliciis, tantæquè est gloriæ particeps, & est innumerabiles victorias consecutus, multaquè bella vicit, & est omni ex parte clarus, insignis & illustris; hæc qui omnia irrideat, divitias & gloriam & omnes delicias, ad futura autem aspiret & inhiet, hoc est magni cujusdam & excelsi animi, hoc est animæ, quæ tenetur studio sapientiæ, & cœlesti amore verè capta est. *o.*

Moyses sic desideravit & concupivit videre ipsam speciem Dei, & loquenti secum Deo dixit: *Si inveni gratiam ante te; ostende mihi temetipsum, adimple bis me lætitiâ cum vultu tuo. p.*

Et ego parvulus, inter parvulos familiæ tuæ, Deus pater, & virtus mea, *quando veniam & apparebo ante faciem tuam*, ut qui nunc tibi confiteor ad tempus, ex tunc confitear tibi in æternum? Beatus ero si fuero admissus ad videndam claritatem tuam. Quis mihi hoc tribuat, ut ad hoc venire permittas me! *q.* Sed

o. Chrysost. homil. in Psal. 41. *p.* August. in Psal. 138. *q.* Aug. soliloq. c. 23.

Sed *quando veniam?* en quod citius est Deo, tardum est desiderio. *Quãdo veniam & apparebo ante faciem Dei?* ex illo desiderio est & hoc, quod clamatur alibi: *Unam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, per omnes dies vitæ meæ.* Quare hoc? ut contempler delectationem Domini. *quando veniam & apparebo ante faciem Domini.* Interim dum meditor, dum curro, dum in viâ sum, antequã veniam, antequam appaream, *fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, cùm dicitur mihi per singulos dies; ubi est Deus tuus.*[r]

Eja, jam Domine! eja, appare mihi & consolatus ero! Exhibe præsentiam tuam, & consecutus ero desiderium meum, revela gloriam tuam, & erit perfectum gaudium meum. *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea!* *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; quando veniam & apparebo ante faciem Domini.* Quando venies consolator meus, quem expecto? ô si quando videbo gaudium meum, quod desidero? ô si satiabor, cùm ap-

Y 7 paru-

[r] Augustin. in Psalm 41.

paruerit gloria tua; quam esurio! ô si inebriabor ab ubertate domus tuæ, ad quam suspiro! ô si potabis me torrente voluptatis tuæ, quam sitio! sint mihi, Domine interim *lacrymæ meæ panes die ac nocte*, donec dicatur mihi, Ecce Deus tuus: donec audiat anima mea, Ecce sponsus tuus. *s.*

Ostende te mihi, consolator meus, *videam te*, lumen oculorum meorum, veni gaudium spiritus mei; *videam te* lætitia cordis mei. Diligam te vita animæ meæ. *Appare mihi*, delectatio mea, solatium meum dulce, Domine Deus meus, vita mea, & gloria tota animæ meæ! *t.*

* Quia projecisti me à facie tuâ per prævaricationem meam, nunc per pœnitentiam meam sunt mihi lacrymæ panes die ac nocte, dicenti: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Patior enim insultationes Dæmonum dicentium mihi: ubi est ad cujus similitudinem factus es? Projecit te de Paradiso suo. Ego autem credo, quod ingrediar ibi in locum tabernaculi admirabilis, ubi factus est homo: nec

s. Aug. med. c. 40. *t.* Aug. soliloq. c. 1.

nec solum ibi revertar per Christum, verum etiam perveniam ad domum ipsius Dei. Et qui inde projectus sum in voce tribulationis, revertar in voce exultationis. *u.*

Quidnam igitur tantâ pro Spe tolerare recusem?
Aut quid erit quod me separet à Domino?
Ignem adhibe, rimare manu mea viscera tortor,
Effugient pœnas membra solutâ tuas.
Carcere si cœco claudar, nectarquè catenis
Liber in exceptu mentis, adibo Deum.
Si mucrone paret cervicem abscindere Lictor.
Impavidum inveniet mors cita, pœna brevis
Non metuo exilium; mundus domus omnibus una est:
Sperno famem; Domini sit [illegible]i sermo cibus.
Nec tamen ista mihi de me fiducia surgit,
Tu das, Christe, loqui, tuquè pati tribuis.
In nobis nihil audemus, sed fidimus in Te,
Quos pugnare jubes, & superare facis.

Spes

u. Arnobius in Psalmum. 41.

Spes igitur mea sola Deus, quem credere vitæ est,
Qui patriæ Civem me dedit alterius.
Sorte patrum occiduum jussus transcurrere mundum,
Sub Christi sacris advena miles eo.
Nec dubius me jure brevi terrena tenere,
Sic utar propriis, ceu mea non mea sint.
Non mirabor opes, nullos sectabor honores,
Pauperiem Christo divite non metuam.
Quæ stetero adversis, hac utar mente secundis,
Nec malæ me vincent, nec bona me capient.
Semper agam grates Christo, dabo semper honores,
Laus Domini vigeat semper in ore meo. x. x. Prosper ad Vxorem.

XIII.

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescã? *Psalm. 54, 6.*

Magne opifex rerum, generis mortalis origo,
Corpora nostra tuâ sunt fabricata manu.

Si



Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam? Psal. 54. v. 6.

46

BIBLIOTEKA OSOLINEUM

Si tamen adversis liceat contendere verbis,
Quos habeant nævos corpora nostra, quærar.
In tria jus homini vastissima regna dedisti;
In maria, in terras, ætheriasq; domus:
Tanta sed ut justis tria regna gubernet habenis, (habet.
Non quantum hæc possit machina, robur
Pace, parùm timide temeraria verba loquenti,
Plus operi vitij, quàm reputetur, inest.
Momus abesse homini, fertur, doluisse fenestram, (mus:
Cætera tam nitidæ membra probasse domus:
Sed fueritne foris, fueritne foramnis usus,
Lis erit arbitrio, Mome, secanda tuo.
Officit humana, me judice, turpius adi,
Nulla quod obsequium squamma vel ala ferat. (& alij;
Non quod opus squammis ut terra regatur
Imperium terra squamma nec ala juvat.
Sed simul ætherias homo cùm moderetur habenas,
Et simul æquoreæ cærula sceptra plagæ;

Quæ

Quâ nisi sint pinnæ; tumidas reget arte procellas?
Quâ nisi sint pennæ, nubila lege premet?
Vi volet, aëriâ volucris petit ardua, pennâ;
Piscis ut æquor aret, squammea pinna facit.
Sed neq; pinna vices homini, neq; penna ministrat,
Et simul hic fluctus & simul Astra reget?
Nec pelago piscis, neq; nubibus imperat ales,
Cur opus his, pennâ, remigioq; fuit?
Scilicet, ingenij minus, orbis & artis haberet,
Ni strepere et pennis stridula musca suis.
Nec stabili geminus penderet cardine mundus,
Bina nisi querulas ala moveret, apes.
Quid, quod & in triplici, volucrum vilissime, regno,
Principis instar, iter Merge natator, agas:
Et modò gramineâ pedes expatieris in herbâ;
Mox avis, alta petas; mox freta nauta, feces.
Quin potius triplicis cessit tibi regia mundi,
Per tria qui pennis hospita regna volas?

Aut

Aut tria si fuerint hominis loca credita curæ,
Cur homini, triplici non licet ire viâ?
Cærulus æquorei Nereus pater ipse profundi,
Non nisi squammigeris, currere fertur equis:
Iuppiter, aërium qui flectere fingitur orbẽ,
Ætheris, ipse vehens alite; carpit iter.
Nec levitas hominem celeri fert plumea pennâ,
Nec liquidas pinnâ remige findit aquas.
Et flectet geminum justis sine viribus, orbẽ,
Æthere factus avis, factus in amne ratis?
Vt tamen undifragæ careat moderamine pinnæ,
(Plurima cum pinnis corpora cassa natẽt)
At sine præpetibus nulli patet ardua pennis,
Quæ patet aligero Regia sola gregi:
O liceat vacuas mihi tollere corpus in auras,
Altaq; sidereæ visere regna plagæ!
Aspice, quos inter jaceat mea patria mores,
Indignus patriæ nomen habere locus.
Aspice, nec quod amem volucres, mirabere, pennas,
Me gravior, quàm quæ Persea, caussa movet.

Pega-

Pegaseis utinam rapiar super æthera plantis,
Aut moveat volucres Perseos ala pedes!
Aut agiles humeris aptes mihi, Dædale, ceras,
Icariis quamvis fabula labar aquis!
Aut lapsas agitem pennato pectore plumas,
Quas vulsit vario picta columba sonu!
Astra columbinis meditabor protinus alis,
Et ferar ante tuam, Juppiter, ales avem.
O stultæ volucres, gens nata palustribus ulnis,
Sueta cavernosos turba natare lacus!
Non ego, si vestras mihi Dædalus applicet alas,
Littora vel scopulos imaq; saxa legam.
Non ego, fluminea volitem levis accola ripæ,
Aut mea percussas penna flagellet aquas:
Non mea torpentes circumvolet ala paludes;
Vt propior segnes radit hirundo lacus.
Non meâ, ceu mœstis Ceyx dum plangitur undis,
Humida vicinos lavet ala freto.
Persequar ætherium sublimior ales Olympū,
Altaq; mox solitis nisibus astra petam.
O quondam felix hominum, modò turba volucrum,
Quos amor, in celeres iraq; vertit aves!

Cur

Cur mea non capiunt agiles quoque brachia plumas,
Induit aut motas hispida penna manus?
Quot ludunt liquidis examina plumea campis,
Aligeroq; secant nubila celsa pede!
Si mihi, Nise, tuo plumescant brachia fato,
Cruraq; Scyllaïs vestiar hirta comis;
Si levis Aönio fierem certamine pica,
Aut, Cytheraa, tuâ verterer ales ave;
O mea si tangant aliquòd suspiria Numen,
Muter ut in pennas casta columba, tuas!
Scilicet advectâ, ceu Chaönis ales, olivâ
Reppetiit notæ tecta Noëa ratis;
Protinus aligeris raperer super æthera velis,
Nostra nec has iterum viseret ala plagas,

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? *Psal.* 54, 6.

INardescit & suspirat omnis peregrinus in sæculo. Patria bona, patria cœlestis, patria contemplationis, Angelorum patria! ubi nullus moritur, quo nullus hostis admittitur. Patria ubi habes sempiternum

Deum

Deum amicum, ubi nullum timeas inimicum. *y.*

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Nihil mihi tam dulce, quàm cum Domino meo esse, præbe, mihi, rogo, *pennas*, quibus indutus, ad te volitem sursum. *z.*

* Da mihi fidei pennas, ut volem sursum DEO! *a.**

Quas *pennas*, nisi duas alas, duo præcepta charitatis, in quibus duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ? has alas, *has pennas*, si recipiam, possum fugere à facie tuâ ad faciem tuam; & à facie irati ad faciem placati. *b.*

* *Istis geminis virtutum qui caret alis.*
*Cœlorum ad regnum non habet unde volet. c.**

Jam volemus spe & desiderio habentes alas geminæ charitatis. Hoc meditemur, hæc sit spes nostra, hæc sit consolatio nostra. Recipiamus *pennas* per charitatem, quas

y. August. serm. 145. de temp. *z.* Aug med. c. 37. *a.* Marius Victorinus in hymno. *b.* Aug. in Psal 138. *c.* Prosper epigramm. 7.

quas amisimus per cupiditatem; cupiditas enim *viscum* facta est *pennarum nostrarum*; elisit nos de libertate aëris nostri, id est, aurarum illarum liberarum spiritus Dei. Inde elisi perdidimus *pennas*, & fuimus quodammodo captivitati *in aucupis potestate*. In istâ vitâ, inter tanta scandala, inter tam multa peccata, inter tantas turbas tentationum quotidianarum, quotidianarum suggestionum malarum: quid facio? *d.*

Omne tempus in sollicitudine, omnis vita in molestiis: *in medio*, inquit, *laqueorũ ambulas*, & alius; *in viâ quâ ambulat, extentos sibi, sed absconditos laqueos querebatur*, ne deprehensus caderet; volebat fugere *sicut passer*, sed adhuc *laqueus contritus non erat. Pertit*, inquit, *fuga à me.* Gravatus habebat *pennas* per illam *tenebrosam aquã in nubibus aëris*, & fortasse evolare non poterat. Denique *illas pennas* quærebat accipere, ut *evolaret & requiesceret* sicut scriptum est: *Quis mihi dabit pennas sicut columba, & volabo & requiescam? e.*

Ete-

d. Aug. loc. cit. *e.* Ambr. de fuga sæculi c. 5.

Etenim quasi clavis quibusdam suffigitur anima, corporis voluptatibus, & cùm semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest. unde descendit, sine Dei favore *revolare*. Actuum enim suorum laqueis vincta & deliciarum sæcularium illecebris obnoxia jam tenetur. *f.*

Volare non potest nisi quod purum leve atque subtile est, cujus nec sinceritas intemperantiâ retardatur, nec alacritas, nec velocitas mole gravatur. Gravari autem *volatum* dico non tam mole membrorum quàm delictorum; unde puto etiam in ipsis avibus ideò velociùs *columbam* pænè præ omnibus volitare, quòd alacritatem & innocentiam comitetur. Denique S. David cùm puritate mentis volare concupisceret, non alterius animantis nisi *columbæ optavit alas*; dicens, *quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam*! Intelligebat enim quòd altiora faciliùs penetrantur simplicitate mentis, quàm *levitate pennarum*. *g.*

Conceperat amorem verbi Dei, & cupic-

f. Ambr. l. 4. in cap. 4. Luc. *g.* Ambr, serm. 70.

piebat ad ipsum *volatu celeri pervenire* dicens: *Quis mihi dabit pennas, sicut columbæ, & volabo & requiescam? volabo* sensibus, *volabo* intellectibus spiritualibus, *& requiescam*, cùm apprehendero sapientiæ & scientiæ ejus thesauros. Puto enim, quia sicut qui mortem Christi recipiunt, & mortificant membra sua superterram, consortes efficiuntur similitudinis mortis ejus; ita & hi qui virtutem Spiritus Sancti recipiunt, & sanctificantur ex eo, & donis ejus replētur (quia ipse *in specie columbæ* apparuit) etiam ipsi *columbæ* fiant, ut de terrenis & corporeis locis *evolent ad cœlestia, pennis Sancti Spiritus elevati. h.*

Bene factum est *ut pennas* acciperetis sicut *columbæ*, *& volaretis ad requiescendū*. Nam in terrâ non erit requies, sed labor & dolor & afflictio spiritus. Quid ergo timendum est sic volanti? nisi fortè cadaver, vel simile aliquid videat in terrâ, cujus desiderio tractus, videatur à venatoribus illis pessimis, & præparatis laqueis capiatur, *&*

Z *sine*

h. Orig. hom. 4. in Cant.

sint novissima hominis illius pejora prioribus?i.

Etenim tamdiu transilire debemus, quicquid nos impedit, quicquid irretit; quicquid *visco quodam illigat*, & onere aggravat *volatum nostrum* donec perveniamus ad id quod sufficit, ultra quod nihil est, infra quod sunt omnia, ex quo sunt omnia.*k.*

Da, quæso, toto desiderio & omni studio, tendere quo te ascendisse credimus, ut in præsenti quidem miseriâ solo tenear corpore, tecum autem sim cogitatione semper & aviditate; ut ibi sit cor meum, ubi tu es thesaurus meus desiderabilis, & incomparabilis, multumquè amabilis. Assumat Domine, assumat, rogo, spiritus meus *pennas & volitet & non deficiat*, volet & perveniat usq; ad decorem domus tuæ, & *locum habitationis gloriæ tuæ.l.*

Tene cor meum manu tuâ, quia sine te ad altiora nõ rapitur, illic festino, ubi summa pax regnat & jugis tranquillitas rutilat. Tene & rege spiritum meum, & assume illum

i. Bern. serm. super *Beati qui habitant.* *k.* August. in Psalm. 76.



Quam dilecta tabernacula tua Dñe virtutem! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.
Psal. 83. v. 1.

BIBLIOTEKA OSOLINEUM

lum secundùm voluntatem tuam, ut te duce, ascendat ad illam regionem ubertatis, ubi pascis Israel in æternum pabulo veritatis. *m.*

m. Ibidem.

XIV.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini! *Psalm. 83, 1.*

O *Qui sidereas ducis fortissime turmas,*
Cui cingant decies millia mille latus!
Quàm tua Regifico radiant Prætoria luxu!
Mens stupet, & tantæ languet amore domus,
Mœnia Tænario defendunt marmore muros,
Limina sunt Parius portaq; celsa lapis.
Vestibulo rutilant adamantum lumine valvæ,
Amplaq; magnificus culmina splendor habet.
Fulgurat excelsis fulvum laquearibus aurum,
Et camera auratâ cedrina fulta trabe.

Tectum angustum, ingens, gemmisq; auroq;
superbum,
Quale putes ipsum posse decere Deum.
Stratus humi calcatur onyx, vitreiq; plateas
Stellarum fundunt, marmora fulva, globi.
Iam sua temperies placido mitissima Cœlo est;
Qualis ubi vernis aurata tepet zephyris;
Nec glacialis hiems tremulo pede pulsat Olympum,
Icta nec hibernâ grandine tecta sonant;
Nec pallent viso morituræ sole pruinæ;
Nec stant marmoreo flumina vincta gelu;
Nec coquit æstivi Cererem juba sæva leonis,
Solstitij medius nec furit igne dies.
Nec viridis foliis sanguis fervore recedit.
Nec tostus nimio sole fatiscit ager.
Perpetuum ver astra colunt, frigusq; caloremq;
Inter, Cœlicolæ tempora veris agunt.
O qui sidereas habitas, Rex maxime, sedes,
Quam tua præterris invidiosa domus!
Quin absunt gelidi bruma intractabilis imbres,
Quiq; regat madidos imbrifer hœdus agros;

Æoliaq;

Æoliaq3 silent animæ tranquilla per alta,
Quassaq3 nec venti murmure spicatremit.
Stat placidus positis Aquilonum flatibus æther,
Servat & æternus longa serena tenor.
Sed neq3 flammantes liquido lavat æquore currus,
Nec subit occiduas Sol fugitivus aquas.
Nec premit astra dies, neq3 Sol fugat æthere stellas,
Nec premitur lassus nocte fugante dies.
Nulla polos tacitis nox obruit atra tenebris,
Nigraq3 subducto somnia sole vocat.
Exulat æthereis longè nox horrida terris,
Et niter æterno lumine clara dies:
Clara dies, jucunda dies. Septemplice Phœbi
Fulmineam nostri lampada, luce premens.
O qui sidereas habitas, Rex maxime, sedes;
Quàm tua præterris invidiosa domus!
Sollicitæ procul hinc, posuêre cubilia curæ,
Et metus & tristi luridus ore dolor;
Et caput atrato luctus velatus amictu,
Lessus & impexis nænia mœsta comis.
Et labor & toto gemitus proscriptus Olympo,
Et lis & rabidi jurgia rauca fori,

Rixaq; invidiaq;, cruentaq; sanguine bella,
Monstraq;, quæ secum plurima, bella trahunt.
Pauperies febrisq; fameq; sitisque luesquè,
Quæquè sequi solitæ Martia castrâ neces.
Hîc clausa Bello portæ, & sine militis armis
Otia cœlicolæ mollia pacis agunt.
Non galeæ, non scuta micant, non classica clangunt,
Mitescunt positis aurea sæcla tubis.
Tabificiquè absunt, examina pallida, morbi,
Quæque cohors Letho prævia sternit iter.
Quin etiam Letho interdictum mœnibus urbis, (habet.
Nec quidquam in Superûm corpora juris
Lætitiæ data cura domus, quæ sedula fletum
Elysij longè finibus arcet agri,
Instruit auratis convivia Regia mensis,
Quas recreant festis gaudia sancta jocis.
Non quia Cœlicolæ dapibus jejunia solvant,
Aut ullus Superûm proluat ore liquor.
Absquè epulis, hîc omnis amor compressus edendi,
Omnis & absque meri munere pulsa sitis.

Non

Non istis temerant Superi convivia mensis,
Aut Regio similes suggerit illa dapes.
Elysium sine carne epulas Bacchoque ministrat
Cœlicolum què venit nullus in ora cibus.
Cœlestis onerant, incognita ferculalances,
Quales nemo hominum, contigit ore cibos.
Ambrosiæ, Superos hilarat, quis nescio, succus,
Dius & ætherio nectare potus alit;
Sicquè super strato æternùm discũbitur ostro,
Gaudet & auratis gens epulata toris.
Gaudet, & Angelicos placidis bibit auribus hymnos,
Et salit, & rutilam sub pede plaudit humum.
O qui sidereas habitas Rex maxime sedes,
Quot tua deliciis affluit illa domus!
Iam flagrat & studio nimis inflammata videndi,
Mens desiderio deficit ægra suo.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. *Psal. 83, 1.*

MAter Hierusalem, Civitas sancta Dei, charissima sponsa Christi, te amat cor meum, pulcritudinem tuam amat cor meum, pulcritudinem tuam nimiùm desiderat mens mea. O quàm decora, quàm gloriosa, quàm generosa tu es. Tota pulcra es, & macula non est in te. Felix anima mea, semperquè fœlix in sæcula, si intueri meruero gloriam tuam, beatitudinẽ tuam, pulcritudinem tuam, portas & muros, & plateas tuas, & mansiones tuas multas; nobilissimos cives tuos, & fortissimum Regem tuum in decore suo. Muri namque tui ex lapidibus pretiosis; portæ tuæ ex margaritis optimis; plateæ tuæ ex auro purissimo, in quibus jucundum alleluja sine intermissione concinitur; mansiones tuæ multæ, quadris lapidibus fundatæ, Sapphiris constructæ, laterculis coopertæ aureis, in quas nullus ingreditur, nisi mundus, nullus habitat inquinatus. Speciosa facta es & suavis in deliciis tuis, mater Hierusalem; nihil in te tale, quale hîc patimur, qualia in hâc miserâ vitâ cernimus. Non sunt in te tenebræ, aut nox, aut quælibet diversitas tempo-

temporum, sed Deus de Deo, lux de luce, Sol Justitiæ semper illuminat te, Agnus candidus & immaculatus, lucidum & pulcerrimum est lumen tuum; Sol tuus & claritas tua; & omne bonum tuum, hujus pulcerrimi Regis indeficiens contemplatio: Ipse Rex Regum in medio tui, & pueri ejus in circuitu ejus.

Ibi Hymni dici Angelorum chori. Ibi societas supernorum Civium. Ibi dulcis solennitas omnium, ab hâc tristi peregrinatione ad tua gaudia redeuntium. Ibi Prophetarum providus chorus. Ibi duodenus Apostolorum numerus. Ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus. Ibi Sanctorum Confessorum sacer conventus. Ibi veri & perfecti Monachi. Ibi sanctæ mulieres, quæ voluptates sæculi, & sexus infirmitatem vicerunt. Ibi pueri & puellæ annos suos sanctis moribus transcenderunt. Ibi oves & agni, qui jam hujus voluptatis laqueos evaserunt. Exultant omnes in propriis mansionibus, dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium. Plena & perfecta ibi regnat charitas, quia

Deus est ibi omnia in omnibus; quem sine fine vident, & semper videndo in ejus amore ardent, amant & laudant, laudant & amant. Omne opus eorum laus Dei sine fine, sine defectione, & sine labore. Felix ego & verè in perpetuum felix, si post resolutionem hujus corpusculi, audire meruero illa cantica cœlestis melodiæ; quæ cantantur ad laudem Regis æterni, ab illis supernæ patriæ civibus beatorumq; spirituũ agmin bus! Fortunatus ego, nimiumque beatus, si, & ego ipse meruero cantare ea, & assistere Regi meo & Duci meo!*n*.

O tu vita, quam præparavit Deus iis, qui diligunt eum! vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulcra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate & mutatione, vita totius elegantiæ & dignitatis pleniſſima, ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus, & timor nullus, ubi dies æternus & unus

n. Aug. med. c. 25.

nus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo, mens sine defectu satiatur. Libet me tuæ intendere claritati, delectant me bona tua avido corde. Quanto plus valeo mecum considerare, tanto plus amore tui langueo, tui vehementi desiderio tuiq; dulci memoriâ admodum delector. Libet itaque, libet in te oculos cordis attollere, statum mentis erigere, affectum animi conservare. Libet sanè de te loqui, de te audire, de te scribere, de te conferre; de tuâ beatitudine & gloriâ quotidie legere & lecta sæpiùs corde revolvere, ut vel sic possim ab hujus mortalis perituræque vitæ ardoribus, periculis & sudoribus sub tuæ vitalis auræ dulci refrigerio transire & transiens, sinu tuo fessum caput dormiturus vel paululum reclinare. O tu vita felicissima! ô Regnum verè beatum carens morte, vacans fine! cui nulla tempora succedunt per ævum, ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus, ubi victor miles, illis hymnidicis Angelorum sociatus choris, cantat Deo sine cessatione canticũ de canticis Sion. o.

o. Aug. med. cap. 22.

Quæ cantica, quæ organa, quæ cantilenæ, quæ melodiæ ibi sine fine decantantur! sonant enim semper melliflua hymnorum organa, suavissima Angelorum melodia cantica canticorum mira, quæ ad laudem & gloriam tuam à supernis civibus in perpetuum decantantur. *p.*

O anima, suspira ardenter, desidera vehementer, ut possis venire ad illam supernam Civitatem, de quâ tam *gloriosa dicta sunt*, in quâ *sicut lætantium omnium habitatio est!* *q.*

Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum! vacabitur Dei laudibus, quierit omnia in omnibus! Admoneor etiam sancto Cantico, ubi lego: *Beati qui habitant in domo tuâ Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* omnia membra & viscera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per usus necessitatis varios distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas; sed plena, certa, secura, sempiterna felicitas, proficiet in laudibus Dei. *r.*

Vera

p. Hugo de S. Victore lib. de anima c. 4. *q.* Augustinus manu. cap. 24. *r.* Aug. 22. de Civ. Dei, c. 30.

Vera ibi gloria erit, ubi laudantis nec errore quisquam nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno. Vera pax ibi est, ubi nihil adversi nec à seipso, nec ab alio quisquam patietur. Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum, quo majus nihil possit esse, promisit. Quid enim est aliud quod per Prophetam dixi: *Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs*; nisi ego ero unde satientur, ego ero quæcumq; ab hominibus honesta desiderantur, & vita & salus & victus & copia & gloria, & honor, & pax, & omnia bona? sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apostolus, *ut sit Deus omnia in omnibus ipse finis erit desideriorum nostrorum*, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. ubi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine, sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad Regnum cujus nullus est finis?

O anima, quid dicere valeo, cùm futurum gaudium aspicio? Jam pœnè præ admira-

miratione deficio, quia gaudium erit intus & extra, subtus & supra, circum & circa. Gaudebis igitur in omnibus, gaudebis de omnibus. *s.*

O Anima, qualis tibi erit dies illa, cùm ad hanc felicem choream fueris assumpta, & cùm omne tormentum tibi (si piè vixeris, si patienter sustinueris) convertetur in æternum jubilum! Tunc de omnibus his laudabis Dominum Deum tuum, labiis exultationis, dicens: *Misericordias Domini in æternum cantabo. t.*

O domus Dei æterna, post Christi dilectionem, tu esto lætitia mea & consolatio; dulcis memoria tui beati nominis, sit relevatio mœroris, tædiorumq; meorum; Tædet enim me valde vitæ hujus & istius erumnosæ peregrinationis. *u.*

O domus Dei luminosa & speciosa, dilexi decorem tuum & gloriam habitationis gloriæ Domini mei fabricatoris & possessoris tui. Tibi suspiret peregrinatio mea die ac nocte: tibi inhiet cor meum, tibi intenten-

s. Bonav. soliloq. c. 4. *t.* Bonav. soliloq. c. 4.
u. Ambr. in orationibus.

tendat mens mea, ad societatem tuæ beatitudinis pervenire desideret anima mea. x.

Quando transibo in illam admirabilem & pulcerrimam domum tuam, ubi personat vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis Justorum? *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te!* Beati & verè beati, quos elegisti & assumpsisti in illam Cœlestem hæreditatem. Ecce *sancti tui, Domine, florent ante te sicut lilium*; replentur enim ab *ubertate domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potas eos*, quoniam tu es fons vitæ. O quàm mira, quàm pulcra, quàm acceptabilia sunt domus tuæ habitacula, Domine virtutum, concupiscit intrare in ea hæc peccatrix anima mea! Domine *dilexi decorem domus tuæ, locum habitationis gloriæ tuæ. Vnam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* y.

O verè beati! ô terquè quaterquè beati, qui jam omnium malorum exuti, securi de suâ immarcessibili gloriâ ad te, Regnum decoris, pervenire meruerunt! ô æternum Re-

x. Ambr. in orationib. y. Aug. med. c. 37.

Regnum, *Regnum omnium sæculorum*! ubi lumen indeficiens & pax Dei quæ exuperat omnem sensum, in quo sanctorum animæ requiescunt, *& lætitia sempiterna super capita eorum; gaudium & exultationem obtinebunt*, & fugiet dolor & gemitus. *O quàm gloriosum est Regnum, in quo tecum, Domine, regnant omnes Sancti.* z.

Ibi est lux sine defectu, gaudium sine gemitu; desiderium sine pœnâ, amor sine tristitiâ; satietas sine fastidio; sospitas sine vitio, vita sine morte, sanitas sine languore. Ibi sancti & humiles corde, ibi spiritus & animæ justorum, ibi cuncti cœlestis Patriæ cives, & Beatorum spirituum ordines, Regem in decore suo videntes, & in gloriâ virtutis ejus exultantes. Perfecta viget in omnibus charitas, una omnium lætitia, una jucunditas.

Bone Jesu, verbum Patris, splendor paternæ gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere, doce me facere voluntatem tuam, ut à spiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perveniam Civitatem, ubi est dies

z. Aug. soliloq. cap. 35.



Fuge dilecte mi, et assimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum, super montes aromatum. Cantic. 8. v14



BIBLIOTEKA
OSOLINEUM

dies æternus, & unus omnium spiritus; ubi est certa securitas & secura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla fœlicitas, & fœlix suavitas, & suavis jucunditas; ubi tu Deus cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas per infinita sæculorum sæcula, Amen. *a*.

a. Greg. in Psal. 7. pœnitent.

XV.

Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloq; cervorum super montes aromatum. *Cant. 8. v. 14.*

O Cyus aspectu, mea Lux, te proripe nostro;
Ardeo, nec tantas mens capit ista faces.
O mala, quæ dudum timui tibi dicere verba!
Quàm, mea Lux, mallem dicere posse, mane.
Non etenim tua me præsentia tempore lassat.
Ah fine te, gravis est qualibet hora mihi!
Sed prohibent nimiis incendia dulcia flammis, (cem.
Vel fuge, vel nocuam, Lux mea, conde fa-

Hac

Hæc mihi Tu, fateor, si jussa aliquando dedisses,
Exanimis misero lapsa dolore forem.
Parce, jubet sævis Amor ignibus, haud ego mando,
Stare velim totos in mea vota dies:
Si possem, cuperem non persuadere quod hortor,
Si potes, invitas aure repelle preces.
Ergo mane, mea lux, monitis nec flectere nostris,
Nec, precor, audieris qua modò jussa dedi.
Trans mare præcipites rapiant verba irrita Cauri.
Non mea, sed stolidi verba fuêre metu.
At prohibet rapido fibras qui pascitur ardor,
Æstuo nec tantas mens capit ista faces.
Ergo fuge & celeres pedibus praverte capellas,
Antevola cervos, antevola hinnuleos.
Sed fuge respiciens, tãquàm discedere nolles,
Vi qui spectari, dum fugit, antè cupit.
Dius in Ephremi cùm pectore ferveret ignis;
Non ego par flamma quin fugis, inquit, Amor?

* *Ille*

* *Ille tuus similes expertus Apostolus ignes,*
Nescius atheream pectore ferre facem,
Ilicet, exclamat, Peccator sum, ilicet exi,
Ne penitùs flammâ, me propiore premes.
Seraphicos velant pennarum tegmina vultus,
Quod totam nequeant sustinuisse facem.
Non ego pectoribus compono hæc pectora tantis;
Non ego sum toti, lux mea, par pharetræ.
Carpe fugam, pedibusq; leves praverte capellas,
Antevola cervos, antevola hinnuleos.
En juga vicino cœlos tangentia clivo,
Thuris ubi madido cortice gutta tumet;
Cedrus ubi, Laurusq; & copia plurima Myrrhæ,
Mixtaq; puniceis Cynnama læta crocis.
Huc fuge pennigeris super alta cacumina plantis,
Seu tua, Mons Amana, Libane sive tua?
Alta super juvenum fastigia Seraphicorum,
Cherubicosq; apices, Astraq; summa super.
Scilicet insoliti non sunt his montibus ignes,
Pectora quos imis vallibus ista timent.

Una

Vna potest flammare meas scintilla medullas,
Non ego par totas, lux mea, ferre faces.
Carpe fugam; pedibusq; leves præverte capellas,
Antevola cervos, antevola hinnuleos.
Sic tamẽ, ut fugiens oculis huc sæpè recurras,
Longiùs aspectu néve vagère meo.
Qualis at oppositum spectat soror aurea Phœbum,
Cùm plus de radiis, quo magè distat, habet.
Parce, suas vires, mea lux, vitiumq; fatenti,
Nec tecum possum vivere, nec sine te.
Ardeo, si properas; rigeo, si fugeris; hei mî,
Et procul, & præsens, igne gelúq; noces!
Quid facies, mea lux, sine te non esse valenti?
Fac calcam, toto non tamen igne cremer.
Ergo fuge, alipedesq; celer præverte capellas,
Antevola cervos, antevola hinnuleos.
Interea viridem fabricabor arundine cannam,
Et referet laudes fistula facta tuas.
Post, ubi vox longo modulamine fessa silebit,
Ore silente novum dextra capesset opus.
Arboribusq; meos foliisque insculpet amores,
Amborum q; uno cortice nomen erit.

Scrí-

Scriptaq; præteriens ne noscat signa viator.
Littera confusum nomen utrumq; teget.
Post opus hoc, reliquæ si quæ super hora diei,
Illa mihi in somnos hora quietis erit.
Sic tamen ut vestri sit mixtus imagine somnus,
Et mihi stes clausos pervigilante oculos.
Dum loquor, en tacitis gliscunt incendia flammis,
Ocyus ingratam lux mea carpe fugam.
Carpe fugam, veluti cuperes tamen ante videri;
Vtquè brevi redeas, non Tibi dico Vale.

Fugè dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloq; cervorum, super montes aromatum. *Cant.* 8. v. 14.

SPonsus plerumque præproperè & præmaturè fugatur, & ante tempus dicitur ei, *Fuge*, quippe tempus manendi sponso & tempus fugiendi. Tempus dicendi ei; *Mane nobiscum Domine*; & tempus dicendi ei; *Fuge dilecte mi.* Tempus dimittendi eum, & tempus dicendi ei: *Non dimittam te nisi bene-*

benedixeris mihi, nisi auxeris incrementa frugum justitiæ meæ, ut suo tempore dimittam te. *b.*

[Sed] quis eum quem diligit, à suâ fugare præsentiâ velit? quod ergo ait, *Fugo dilecte mi*, non optando loquitur, sed ejus potiùs voluntate fervendo. *c.*

Sicut enim in quibusdam carnalibus officiis adeò vincitur carnalis concupiscentia, quod omnem visum rationis amittit, & fit homo quasi totus carnalis; ita meritò in hâc supernâ contemplatione, ita consummantur & absorbentur carnales motus ab animâ, ut in nullo caro spiritui contradicat. *d.*

Numquid hujus consolationis & lætitiæ testes sunt & nuncii, suspiria & lacrymæ? Si ita est, nova est antiphrasis ista & significatio inusitata; sed quid hujus secreti colloquia proferimus in publicum? *e.*

Dimitte me, jam enim ascendit Aurora, datâ ergo benedictione, mortificato nervo

b. Guil. Abbas apud Delrio in c. 8. Cant. *c.* Beda in c. 8. Cant. *d.* Author Scalæ Paradysi, tom. 9. Aug. c. 5. *e.* Idem c. 6.

vo femoris & mutato nomine de Jacob in Israël, paulisper secedit Sponsus, diu desideratus, citè elapsus. *f.*

Sed ne timeas, ô Sponsa, ne desperes, ne existimes te contemni, si paulisper tibi subtrahit sponsus faciem suam. Omnia ista cooperantur in bonum, & de accessu & recessu lucrũ acquiris; tibi venit, tibi & recedit; venit ad consolationem, recedit ad cautelam, ne magnitudo consolationis extollat te. Hanc gratiam cùm vult & quando vult Sponsus attribuit, non jure hæreditario possidetur. Vulgare proverbium est, quod nimia familiaritas parit contemptum. Recedit ergo, ne fortè nimis assiduus, contemnatur, & absens magis desideretur, desideratus avidiùs quæratur, diu quæsitus tandem gratiùs inveniatur. Ne ergo exilium deputemus pro patriâ, arrham pro pretii summâ, venit sponsus & recedit vicissim, nunc consolationem afferens, nunc universum statum nostrum in infirmitate commutans, paulisper nos permittit gustare, quàm suavis est; & ante quam plenè sentia-

f. Idem c. 7.

tiamus, se subtrahit, & ita quasi alis expansis supra nos volitans provocat nos ad volandum.*g*.

Meritò proindè quærenti illum anima respondetur. *Altissimum posuisti refugium tuum.* Neque enim sic Deum sitiens anima, aut cum Petro, ei in terreno monte facere, tabernaculum, aut cum Maria deinceps, eum tangere vult in terrâ, sed planè clamat: *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloquè cervorum.h.*

Hortatur enim (Anima,) ut fugiat, sponsus, quia jam sequi potest etiam ipsa terrena fugientem. Dicit autem, *ut similis sit damulæ*, quæ evadit de retibus. Vult enim & ipsa fugere & evolare supra mundum.*i*,

Assimilare capreæ, hinnuloquè cervorum super montes aromatum; multùm optando ac supplicando prosequitur, sciens hanc sibi maximam in præsenti vitâ esse felicitatem; ut quia continuâ visione non valet, saltem crebrâ ejus visitatione consoletur, quæ nimirum

g. Idem c.8. *h*. Bern. serm. 9 super. *Beati qui habit.* *i*. Ambr. in bono morti cap. 5.

mirum felicitas illis solùm conceditur, qui contemptu terrestrium & gaudiorum appetitu cœlestium, appellari spiritualium merentur montes aromatum, assimilatur enim *capreæ hinnuloquè cervorum* apparentibus *super montes aromatum*, cùm rursus, ut opportunum ipse judicaverit, collatâibi luce sui præsidii, sive obsidentia tentationum pericula tollit, seu consueta quæ subtraxisse videbatur, virtutum dona restituit: constat enim de nostrâ parvitate, quia nequaquam uno atque indissimili modo semper orationum dulcedini insistere, lacrymas (vel pro reatus nostri conscientiâ, vel pro desiderio patriæ cœlestis) fundere valemus; ita ut nonnumquam multum conati, his uti bonis nequeamus. Ac rursus aliquando, etiam minùs ipsi studentes, horum copiâ potiamur. Quod, unde agitur, nisi nunc fugit dilectus; nunc mentem nostram revisit. *k*.

Quis verò mihi hujus mutabilitatis referet Sacramenta? quis mihi explicet ire, & redire *Verbi*? numquid levitate utitur spō-

Aa sus

k. Bedain c. 8. Cant.

sus? sensu animæ, non motu verbi, ista fieri sentiamus. Cùm sentit gratiam, agnoscit præsentiam; cùm non, absentiam queritur, & rursum præsentiam quærit: sed fortè ideò se subtraxit sponsus, quo avidiùs revocaretur, teneretur fortiùs? Nam & aliquando simulabat se longiùs ire; non quia hoc volebat, sed magis volebat audire: *Mane nobiscum quoniam advesperascit.* Nunc verò constat in animâ fieri hujusmodi vicissitudines euntis & redeuntis *verbi*, sicut ait: *Vado & venio ad vos.* Item, *modicum & non videbitis me.* O modicum & modicum! ô modicum longum! Pie Domine, modicum dicis, quòd non videmus te? salvum sit verbum Domini mei, longum est; & multum valdè nimis. *l.*

Sed *fuge dilecte mi*, quia non possum adhuc sociari tibi in thalamo sicut vis *m.*

O vocem dignam auditu dilecti! vocem de corde fideli & mente humili! hoc enim est, quod anima quævis fidelis & sapiens dicere consuevit: Domine non sum digna ut

in tres

l. Bern. serm. 75. in Cantic. *m.* Ansel in cap. 8. Cant.

intres sub tectum meum; non sum digna, ut in me ostendas frequens aliquod præsentiæ vel visitationis tuæ miraculum. *Euge*, inquam, *dilecte mi*, & saltus hujusmodi similes saltibus *capræ* aut *hinnuli cervorum* effice, non super me, sed super montes aromatum, super præcelsa merita sanctorum, atque perfectorum. *n.*

Aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus, ac nescio quam dulcedinem; quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit; sed recido in hæc, ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis; & teneor, & multùm fleo, sed multùm teneor. *o.*

Domine consolator meus; in hac vitâ *renuit consolari anima mea*, ut digna habeatur consolationibus æternis. *p.*

Recede à me, Domini, parumper; quoniam vasis hujus infirmitas ferre non potest. *q.*

* Fuge tibi, Dilecte mi, Dominator, seculi, de terrâ hac immunda, & habitet

n. Ruper. in c. 8. Cant. *o.* Aug. 10. confess. c. 40.
p. Aug. soliloq. c. 22. *q.* S. Eu. in vitâ suâ.

majestas tua in cœlis excelsis: & in tempore tribulationis, quo nos oraverimus coram te, eris similis capreæ, quia in tempore quo dormit unus oculus ejus est clausus, & alter oculus est apertus: aut sicut hinnulus cervorum, qui in tempore quo fugit, respicit post se: Sic tu contemplaberis nos & respicies tribulationem nostram de cœlis excelsis, usq; ad tempus, quo beneplacitum erit tibi in nobis, & redimes nos, & introduces in montem Jerusalem, & ibi adolebunt Sacerdotes coram te incensum aromatum. r. *.

z. Chaldæus h.l.

Finit liber tertius.

SYL-

LIBRI PRIMI GEMITUS ANIMÆ POENITENTIS.

I.

Anima mea desideravit te in nocte. Isaiæ. 26. v. 9.

II.

Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Psal. 68, 7.

III.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Psalm. 6, 2.

IV.

Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte universa delicta mea. Psalm. 24, 19.

V.

Memento quaeso quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. Job. 10, 9.

VI.

Peccavi: quid faciam tibi, ô custos hominum! quare posuisti me contrarium tibi? Job. 7, 19.

VII.

Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Job.13,24.

VIII.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis lachrymam, & plorabo die ac nocte? Jerem.9,1.

IX.

Dolores inferni circumdederunt me, praeoccupaverunt me laquei mortis. Psalm.17,6.

X.

Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Psalm.142,2.

XI.

Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum. Psalm.68,19.

XII.

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus? Job.14,13.

XIII.

Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum. Job.10,20.

XIV.

XIV.

Vtinam saperent, & intellgerent, ac novissima providerent. Deut. 32, 29.

XV.

Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Psalm. 30, 20.

SYLLABUS LIBRI SECVNDI VOTA ANIMÆ SANCTÆ.

I.

COncupivit anima mea desiderare justificationes tuas. Psalm. 118, 20.

II.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Psal. 118, 5.

III.

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Psal. 16, 6.

IV.

Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. Psal. 118, 120.

V.

Averte oculos meos ne videant vanitatem. Psal. 118, 37.

VI.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar. Ps. 118, 80.

VII.

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Cant. 7, 11.

VIII.

Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Cant. 1, 3.

IX.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat! Cant. 8, 1.

X.

In lectulo meo, per noctes, quæsivi, quem diligit anima mea; quæsivi illum, & non inveni. Cant. 3, 1.

XI.

Surgam & circumibo civitatem; per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea; quæsivi illum, & non inveni. Cant. 3, 2.

XII.

Num quem diligit anima mea, vidistis? paullulum cum pertransissem eos, inveni quē diligit anima mea; tenui eum, nec dimittā. Cant. 3, 4.

XIII.

XIII.

Mihi autem adhærere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam, Ps. 72, 27.

XIV.

Sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi. Cant. 2, 3.

XV.

Quomodo cantabimus canticum Domini, in terrâ alienâ? Psal. 136, 5.

SYLLABUS LIBRI TERTII SUSPIRIA ANIMÆ AMANTIS.

I.

Adjuro vos, filiæ, Ierusalem, si inveneritis Dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo. Cant. 5, 8.

II.

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Cant. 2, 5.

III.

Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies & inclinentur umbræ. Cant. 2, 16, 17.

IV.

IV.

Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus. Cant. 7,10.

V.

Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Cant, 5, 6.

VI.

Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Psalm. 72, 24.

VII.

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est; habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea! Ps. 119, 5, 6.

VIII.

Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Rom. 7, 24.

IX.

Coarctor è duobus, desiderium habens dissolvi & esse cum Christo. ad Philip. 1, 23.

X.

Educ de custodiâ animam meam, ad confitendum nomini tuo! Psal. 141, 10.

XI.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Ps. 41, 1.

XII.

Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Psal. 41, 2.

XIII.

XIII.

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Psal. 54, 6.

XIV.

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum; concupiscit & deficit anima mea, in atria Domini! Psal. 83, 1.

XV.

Fuge dilecte mi, & assimilare caprea, hinnuloq; cervorum, super montes aromatum. Cant. 8, 14.

FINIS.

ERRATA.

IN Dedicatione col. 3. linea. 8. lege festis l. 11. genus. col. 16. l. 8. pravæ. l. 9. additamentum. l. 11. optatur. pagina 7. l. 14. Nummus p. 8. l. 14. absconditæ. p. 25. l. 2 tu. p. 34. l. 3. ossa l. 12. fuga. p. 40. l. 23. Macch p. 43. l. ultima lege corporis. p. 72. l. 17. muneribus. p. 84. l. 8. funere. p. 86. l. 2. configentes timore. p. 92. l. ult. interruptum. p. 126. l. 2. Cœcis. p. 146. l. 8. odor d. 156. l penultima externi. p. 157. l. 7. Billius. p. 172. l. ult. Finit. p. 176. l. 3 introrsum. p. 177. l. 3. se. p. 211. l. 20. nisi l. 22 esse. p. 225. l. 4. fixas. p. 251. l 1 vestimenta. p. 259 l. 1. qualibet. p. 303. l. 17. amem. rejecta lector benevolus à se emendabit.

Ad

AD BIBLIOPEGUM, QVIBVS PAGINIS FIGVRÆ sunt inserendæ.

2. Tituli in principio		Figur. 23	264
Figura 0 ad A	7	24	277
Figura 1	pag. 1	25	288
2	8	26	304
3	20	27	315
4	37	28	326
5	47	29	338
6	59	30	350
7	69	31	361
8	76	32	370
9	86	33	380
10	97	34	395
11	109	35	405
12	120	36	415
13	131	37	429
14	144	38	443
15	161	39	456
16	173	40	468
17	184	41	478
18	200	42	491
19	213	43	504
20	225	44	515
21	239	45	529
22	252.		

BIBL. Z.N. IM. OSSOLINSKICH

BIBL. ZNIO

M-48

